

Jacques Bénigne Bossuet


**Jacobi Benigni Bossvet, Episcopi Condomensis Et Serenissimi Delphini
Præceptoris Doctrinæ Catholicæ, De Iis Argumentis. De Quibus Controversiæ
Sunt, Expositio**

Editio Novissima, Viennæ Austriæ: Typis Joan. Thomæ Trattner, 1753

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1043657207>

Druck Freier  Zugang





1397 p. 13.
516. 13.

99

F.g-3574.

JACOBI BENIGNI
BOSSVET,
EPISCOPI CONDOMENSIS

ET

SERENISSIMI DELPHINI
PRÆCEPTORIS

DOCTRINÆ
CATHOLICÆ,

DE IIS ARGUMENTIS.

DE QUIBUS CONTRORSIÆ SUNT,
EXPOSITIO.

EX INTERPRETATIONE

CLAVDII FLEVRII

PRESBYTERI PARISIENSIS,


AB EJUSDEM EXPOSITIONIS AU-
THORE RECOGNITA.

EDITIO NOVISSIMA.

Cum Licentia Superiorum.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
TYPIS JOAN. THOMÆ TRATTNER,
SAC. CÆS. REG. AULÆ BIBLIOP. ET
UNIV. TYPOGR. M. DCC. LIII.

JACOBI BRUNO
B O S S I
EPISCOPUS CONDENSIS
SERENISSIMI PRINCIPIS
PRÆCEPTORIS
DOCTRINÆ
CATHOLICÆ
DE HIS ARTIBUS
ET QUÆSITIS
EXPOSITIO
EX UNIVERSITATE
CLAUDIÆ
PRESIDENTIS
AB EPISCOPIS
EDITIONE
VIENNE AUSTRIÆ
TAM JACOBI BRUNO
SAC. CATH. AUSTRIÆ
UNIV. TYR. M. DC. LII.





LECTORI.

Damus tibi, Christiane Lector, expositionem Doctrinæ Catholicæ ab Illustrissimo Episcopo Condomensi Gallicè editam, ex interpretatione ab ipso Authore recognita, arbitrati fore, ut, quandoquidem ea expositio jam in varias Linguas, etiam

A 2

in

in alma Urbe Roma , autho-
ritate Amplissimæ Congrega-
tionis de propaganda fide,
est transfusa, ejus operis uti-
litas , si in Latinam vertere-
tur Linguam , latius propa-
getur. Hanc igitur accipe,
Christiane Lector, & Catho-
licam Doctrinam pure sancte-
que ex Concilii Tridentini
decretis expositam ve-
nerare.

A P.

APPROBATIO

Illustrissimorum Archiepiscoporum &
Episcoporum.

NOs Archiepiscopi & Episcopi infra scripti
perlegimus Tractatum, cui Titulus: *Expositio
Doctrinae Catholicae de iis argumentis, de qui-
bus Controversiae sunt, Authore Jacobo Benigno
Bossuet, Episcopo Condomensi Serenissimi Delphini
Praeceptore; atque omnibus notum facimus, nos
eo libro attente ac diligenter pro rei gravitate per-
penso, ejus omnem Doctrinam Catholicae, Aposto-
licae & Romanae Fidei convenientissimam comperisse.
Quare eam ut talem duximus gregi nobis divi-
nitus commisso proponendam, certi namque sumus
eam Catholicis utilissimam futuram, atque in sum-
mam spem adducimur fore, ut qui se Reformatos
vocant, si librum hunc attente perlegerint, maxi-
mam inde lucem hauriant, ut ad salutis viam
revocentur.*

Carolus Mauricius le Tellier, *Archi-
episcopus Dux Remensis.*

C. de Roismadech, *Archiepiscopus Turo-
nensis.*

Felix, *Episcopus & Comes Catalaun-
nensis.*

De Grignan, *Episcopus Vsetensis.*

A 3

D. de

D. de Ligny, *Episcopus Meldensis.*
Nicolaus, *Episcopus Lucionensis.*
Gabriel, *Episcopus Angulodunensis.*
Marcus, *Episcopus Tarbensis.*
Armandus Joannes, *Episcopus Biterrensis.*
Stephanus, *Episcopus & Princeps Grati-*
nopolitanus.
Julius, *Episcopus Tutelensis.*

Imprimatur,
Vicnna, 12. Octob. An. 1753.

FRANCISCUS
Comes
a SCHRATTENBACH.

Admittitur optimus Liber.

SIMON
de STOCK.

DOCTRI-

DOCTRINÆ CATHOLICÆ,

De iis argumentis,

De quibus controver-
fiæ sunt

EXPOSITIO.

Postquam annis amplius cen- I.
tum cum his qui se Refor- *Consilium*
matos vocant disceptatum est, *Authoris.*
elucidata oportet esse ea argu-
menta, unde secessionis causam
arripuerunt, paratosque animos
ad Ecclesiæ Catholicæ sensus per-
cipiendos, nihil ut videatur fieri
posse melius, quam si plane propo-
nantur illa dogmata, & ab iis,
quæ falso eidem Ecclesiæ adscri-
ptæ sunt, distinguantur. Etenim
multoties comperi, quod illi a
plerisque nostris dogmatibus ab-
horreant, id ex falsis eorum quas

A 4 præ-

8 DOCTRINÆ CATH.

præcepere notionibus fieri, sæpe etiam ex vocabulis nonnullis quibus statim offensi nec sensum requirant, nec unquam ad res ipsas penitus inspicendas perveniant. Quare nihil illis utilius fore credidi, quam ea exponere, quæ ab Ecclesia in Tridentino Concilio definita sunt de iis argumentis, propter quæ a nobis maxime dissident, omiſſis omnibus quæ obicere solent aut privatis Doctoribus, aut adversus ea, quæ nec necessario, nec ab universis admittuntur. Consentiunt enim omnes & ipse Dallæus iniquum esse privatorum sententias universæ societati tribuere; additque secessionem fieri non licere nisi propter ea doctrinæ capita quæ summa autoritate stabilita sint, quæquæ omnes & credere & observare teneantur. Solis igitur Concilii Tridentini decretis insistant, quod illic Ecclesia

Dall.
Apol. c. 6.

sia de rebus controversis iudicium tulerit: porro quodcumque dicam, quo percipiantur melius illa decreta, id in eadem Ecclesia probatum est, Sacro Sanctique Concilii doctrinæ consentiens liquido apparebit.

Ex illa vero doctrinæ nostræ expositione duo nascentur comoda. Alterum, ut evanescant plane multæ concertationes, cum falsis doctrinæ nostræ interpretationibus innixæ deprehendantur. Alterum, ut quæ supererunt controversiæ non tanti juxta Calvinianorum placita videantur esse momenti, quanti esse initio persuadere conati sunt, nec quidquam habeant juxta eadem placita, quo fidei fundamenta lædantur.

Atque ut ab illis fidei fundamentis incipiam capitibusque præcipuis, fateantur Calvini necesse

II.

*Fateantur
Calviniani
Catholici*

A 5

cus funda- esse est Ecclesiam Catholicam
mentalia illa & credere & confiteri. Si
omnia enim in eo illa reponunt, ut
Christiana credamus adorandum esse unum
religionis Deum, Patrem, Filium, &
capita su- Spiritum Sanctum; inque Deo
scipere. solo fiduciam collocandam per
 ejus filium, qui pro nobis &
 homo factus sit & affixus cruci,
 & a mortuis surrexerit: hanc
 nos doctrinam profiteri perspe-
 ctum habent. Quibus si reliqua
 adjiciant capita quæ Apostolorum
 symbolo continentur, nihilo
 magis dubitant illa a nobis
 omnia, nullo excepto, admitti,
 eademque vere a nobis intelligi
 ac sincere.

Scripsit sane Dallæus com-
 mentarium inscriptum, *fides in*
scripturis fundata; in quo post-
 quam omnia credita a Calvinia-
 nis Ecclesiis doctrinæ capita ex-
 posuit, ait, illa absque contro-
 versâ esse: Ecclesiam Romanam

Dall. 3.
 Part. Cap.
 I.

ea omnia dogmata profiteri: se
quidem non omnia sentire, quæ
nos Catholici credimus, at nos
quæcunque ipse credat admit-
tere.

Negare igitur ille non potest
præcipua Christianæ religionis
capita a nobis credi, nisi suam
ipse fidem evertere velit.

Sed vel tacente Dallæo res
ipsa loquitur, noruntque omnes
credi a nobis cuncta illa capita,
quæ Calviniani fundamentalia
vocant, ut bona fides postulet nul-
lum eorum a nobis rejectum
absque controversia concedi.

Qua ex confessione cum multa
nobis Reformati videant evenire
commoda, eripere illa volunt,
ajuntque a nobis ea fidei funda-
menta convelli, quod alia iis
contraria statuamus. Id autem
efficere conantur argumentatio-
nibus e doctrina nostra deductis:
quod ut ad me concedatur, idem:

perfecto Dallæus (quem eis ite-
rum Autorem adduco non tam
ut eos unius vel doctissimi ex-
plorum Ministris testimonio con-
vincam, quam quod ea dicat, quæ
sunt manifesta per sese) docet
quid de huiusmodi argumentis
sentiendum sit. Sic enim loqui-
tur in epistola, quam ad Mongla-
tium scripsit de Apologia sua :

*Dallæus
Epist. ad
Monglat.*

*Esse Lutheranorum de Eucharistia
opinio perinde juxta nos ac Roma-
nensium humanitatis Christi destru-
ctionem inducat, non potest tamen
ea illis consequentia objici absque
calumniæ labe, cum eam diserte
rejeciant.*

Omnino nihil est quod ad sum-
mam Christianæ Religionis ma-
gis pertineat, quam huma-
næ naturæ in Christo veritas :
cum tamen ea Lutherani doceant
ex quibus tanti illius ac tam ne-
cessarii dogmatis evertio infera-
tur iis argumentis, quæ Calviniani
mani

manifesta judicent, suam illis communionem offerre non dubitaverunt, quod eorum opinio *veneno careat*, ut ait in Apologia *Dallæus*; Synodusque nationalis Anno 1631. Carentoni habita ad *Sacram eos mensam* admittit ob eam causam, *quod in principis & fundamentalibus Religionis capitibus conveniant*. Constat igitur, illud, ratumque apud eos est, non esse in his rebus inspectandum, quid ex aliqua doctrina deduci argumentando possit; sed quid ille fateatur, quid statuat, qui illam docet.

Cum itaque argumentis ex doctrina nostra, ut quidem ipsi putant, deductis inferunt, nos neque summum honorem Deo debitum, neque Servatoris in Christo Mediatorisque virtutem, nec infinitam oblatis ab eo sacrificii dignitatem, nec superabundantiam meritorum ipsius plenitudinem

14 DOCTRINÆ CATH.

nem satis agnoscere; iis nos argumentis expedire nullo negotio possumus brevi illa a Dallæo subministrata responsione, non posse scilicet Ecclesiæ Catholicæ *absque calumnie labe* tribui ea, quæ plane diffitetur ac reprobatur.

At longius ego procedere decrevi, Calvinianisque sola doctrinæ nostræ expositione ostendere aggredior, per eam doctrinam summa illa dogmata, quibus fides, ut fundamentis nititur, adeo non everti, neque recta & per se, neque deductis argumentis, ut eadem e contra manifestissime firmissimeque stabiliat: atque omnino necesse sit, eos esse vel iniquissimos, qui ea recto sensu a nobis intellecta negaverint.

III.

*Ad Deum
solum ultimo refer-
tur religio-
sus cultus.*

Atque ut ab adoratione Deo debita incipiamus: eam docet Ecclesia Catholica in eo præcipue sitam esse, ut ipsum credamus

mus

mus omnium esse conditorem
ac Dominum, eique totis animi
viribus adhæreamus per fidem,
spem & charitatem: ut qui
nos unus possit beatos efficere,
seipso scilicet summo atque in-
finito bono nobis communicato.

Habet illa interna adoratio,
quam Deo in spiritu & veritate
exhibemus, externa sua signa,
quorum præcipuum sacrificium
est, idque uni tantum Deo offerri
licet; cum ideo institutum sit,
ut super omnia Deum esse, nos-
que ab eo omnino pendere pub-
lice solemni que obtestatione præ-
dicemus.

Eadem Ecclesia docet, reli-
giosum cultum omnem omnino
ad unum Deum, tanquam ad fi-
nem necessarium, in quo acquie-
scat, referri oportere: ut si re-
ligiosus dici possit honos, quem
Virgini Sanctisque exhibet, id
eo

eo fiat, quod in Deum necessario referatur.

Verum antequam, honor ille in quo consistat, fusius exponamus, non abs re erit observare, Calvinianos vi veritatis adactos nunc fateri morem illum, quo Sanctos oramus, eorumque reliquias veneramur, quarto ipso Ecclesiæ sæculo receptum fuisse. Dallæus id fatetur in eo libro, quem contra Latinorum traditionem de religiosi cultus objecto scripsit; ibidemque Basilium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, aliaque plurima antiquæ Ecclesiæ lumina, quæ illo sæculo claruerunt, maximeque Gregorium Nazianzenum illum, qui Theologus præ cæteris dictus est, novatæ in eo capite superiorum trium sæculorum doctrinæ insimulat. Nemini autem videbitur simile veri, quid trium priorum sæculorum Patres

sen-

fenserint, melius Dallæum intel-
 lexisse iis, qui doctrinæ illius
 quasi hæreditatem statim ab eo-
 rum morte acceperunt, eoque
 illud minus erit credibile, quod
 adeo non adverterint quarti sæ-
 culi Patres, novi aliquid in suum
 cultum induci, ut contra Dallæus
 ipse loca perspicua adduxerit,
 quibus aperte significant se cum
 Sanctos orarent, decessorum suo-
 rum exempla sequi credidisse.
 Verum illorum Patrum, qui tri-
 bus primis vixere sæculis, senten-
 tiam accuratius non expendam,
 contentus Dallæi confessione tot
 nobis & tantos viros, qui quarto
 Ecclesiam docuere sæculo con-
 cedentis. Etsi enim annis post
 eorum obitum mille & ducentis
 nomen illis veluti sectæ cujus-
 dam imponere ausus sit, ac Reli-
 quiarios, hoc est, reliquiarum ve-
 neratores appellaverit, Calvinia-
 næ communionis homines spero
 majori

majori in tantos viros ufuros reverentia; accusare faltem eos non audebunt, quod rogandis sanctis reliquiisque venerandis, in Idololatriam inciderint, debitamve Christianorum in Christum fiduciam everterint: nec ejusmodi nobis imposterum objecturos crimina sperandum est, cum attendent ea nostris a se objici non posse, quin simul objiciant tot summis viris, quorum se profitentur nobiscum doctrinam sanctitatemque venerari. At quoniam id potius hic agitur, ut nostram explicemus fidem, quam ut a quibus propugnata sit, ostendamus, in ea expositione pergendum est.

IV.
*Sanctorum
invocatio.*

Ecclesia cum utile esse nos docet sanctos orare, docet etiam orandos eodem charitatis spiritu & fraternæ Societatis ordine, quo ad fratrum in terris viventium auxilium quærendum inducimur.

Qua

Qua ex doctrina concludit Con-
 cilio Tridentini Catechismus: Si ^{part. 3. tit.}
 quid Mediatoris dignitas, Chri- ^{de cultu &}
 sto in scripturis tributa, sancto- ^{invoc.}
 rum cum Deo regnantium in- ^{Sanct.}
 tercessione minueretur, non mi-
 nus viventium nobiscum fidelium
 intercessione minuendam.

Ostendit plane Catechismus
 ille, immensum quantum inter-
 esse inter modum, quo Dei, &
 modum quo sanctorum auxilium
 imploramus: Nam *precamur*, ^{Part. 4.}
 inquit, *Deum, ut ipse vel bona* ^{Tit. quis}
det, vel liberet a malis: a san- ^{orandus sit.}
ctis autem quia gratiosi sunt apud
Deum petimus, ut nostri patrocini-
um suscipiant, ut nobis a Deo im-
petrent ea, quorum indigemus. Hinc
duas adhibemus precandi formulas
modo differentes; ad Deum enim
proprie dicimus MISERERE NO-
BIS, AUDI NOS, ad Sanctum
ORA PRO NOBIS. Unde in-
telligere debemus, quibuscunque
 verbis

verbis conceptæ sint preces ad Sanctos dirigendæ, ad eam semper formam Ecclesiæ fideliumque voluntate revocari, ut Catechismus idem in sequentibus confirmat.

*Sess. 25.
Decr. de
Invoc. Sc.*

Verum operæ pretium est ipsius verba Concilii perpendere, quod cum Episcopis præscribit, quod sit ipsis modo de sanctorum invocatione dicendum, docere jubet, *sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, Et ob beneficia impetranda a DEO per filium ejus JESUM Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor Et Salvator est, ad eorum orationes opem auxiliumque confugere.* Deinde Concilium eos damnat, qui contrarium doceant. Apparet igitur ex illius mente Sanctos invocare nihil aliud esse, quam ad eorum confugere preces ad beneficia per
Chri-

Christum a Deo impetranda. Nam re ipsa per Christum solum inque ejus nomine consequimur, quodcunque consequimur intervenientibus sanctis; cum ipsi sancti non nisi per Christum orent, nec nisi in ejus nomine exaudiantur. Hæc est Ecclesiæ fides, quæ postquam tam perspicue tam paucis verbis est a Tridentino Concilio exposita, non intelligimus, qui nobis opponi possit a Christo nos recedere, cum rogamus ejus membra, quæ nostra item membra sunt; ejus filios, fratres nostros; ejus Sanctos, primitias nostras, ut nobiscum & pro nobis communem Dominum in communis Mediatoris nomine deprecantur.

Idem Concilium plane paucisque docet, quæ mens Ecclesiæ sit, cum sacrum offert Deo, quo sanctorum memoriam veneretur.

In eo situs est honor ille, quem eis sacram inter actionem exhibemus, ut eorum veluti fidelium Dei fervorum nomina in precibus ipsi oblatis nuncupemus: ut agimus ipsi gratias de victoriis ab eis relatis: eumque deprecemur, ut erga nos flecti illorum in-

Lib. 8. de tercessione se sinat. Dixerat Augustinus, anni jam mille ac ducenti sunt, non putandum esse sanctis Martyribus sacrificium offerri, etsi usu jam tum ab Ecclesia universa recepto sacrificium supra sancta eorum corpora & ad eorum, ut vocabant, memorias offerretur, hoc est ad ea loca ubi pretiosæ fervarentur reliquiæ. Idem addiderat commemorationem Martyrum ad sacram mensam inter sacrorum

Tract. 84. *in Joan.* *Serm. 17.* *de verb.* *Apost.* *solemnia fieri, non ut pro eis sicut pro reliquis defunctis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis orent. Cuius ideo sententiam refero, quod*
 ipsi

ipsis prope illius verbis Concilium Tridentinum utatur, quibus fideles doceat, *sanctis ab Ecclesia sacrificium non offerri, sed* *sess. 22.*

DEO soli, qui illos coronavit; c. 3.

unde nec sacerdos dicere solet, OFFERO TIBI SACRIFICIUM Petre vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris. Sic colimus Sanctos ad impetranda scilicet eorum ieterventu divina beneficia. Porro inter illa, quæ nos consecuturos beneficia speramus, illud vel præcipuum est, ut eos imitemur: quam ad rem excitamur tum mirabilibus eorum inspiciendis exemplis, tum honore beatæ illorum memoriæ coram Deo exhibendo.

Qui propositam a nobis doctrinam perpenderit, ii fateantur
neceffe

necesse est, nos ut Deo nihil detrahimus eorum, quæ perfectissimæ ipsius naturæ propria sunt, ita nec dare creaturis, ut quidquam sint vel quidquam agant, quod soli Deo competat. Quæ nos ab Idololatriis adeo discernunt, ut intelligi non possit, cur eo nomine notemur.

Porro cum Calviniani obijciunt nos precibus ad sanctos dirigendis, iisque, ut præsentibus ubique terrarum venerandis, immensitatem eis aliquam tribuere, aut saltem occultarum cogitationum notitiam, quam tamen sibi Deum reservare tot scripturæ testimoniis apparet: nostram non satis attendunt doctrinam. Ut enim non expendam, quibus nixi argumentis possimus eorum, quæ inter nos geruntur, aut secretarum etiam cogitationum ad certum usque modum cognitionem Sanctis tribuere: manifestum est

non

non ideo supra sortem suam creaturam efferrī, quod earum rerum, luce sibi a Deo communicata, aliquam habere notitiam dicatur. Id liquido constat exemplo Prophetarum, quos etiam Deus eo honore dignatus est, ut futura cognoscerent, etsi divinæ cognitioni longe potius reservata videantur.

Cæterum nemini unquam Orthodoxo in mentem venit Sanctos ex sese cognoscere ea, quibus indigemus, aut etiam nostras tacitas voluntates. Sufficit Ecclesiæ antiquitate omni consentiente docere, utilissimas esse preces illas orantibus, sive Sanctis innotescant ministerio consortioque Angelorum, quos, quæ geruntur apud nos, scire scriptura testatur, cum *Heb. 1.*
sint administratorii spiritus missi pro- v. 14.
pter eos, qui hereditatem capiunt salutis; seu Deus ipse nostra illis desideria peculiari revelatione indicet;

B

dicet;

dicet; seu denique id illis arcanum in infinita sua essentia patefaciat; qua quidquid verum est, continetur: de quibus nihil statuit Ecclesia.

At quibuscumque rationibus id fiat, certe verum est, Ecclesiam nihil creaturæ, quod Dei proprium sit, Idololatrarum more tribuere: cum in Sanctis vel præstantissimis nullum agnosci concedat excellentiæ genus, quod a Deo non oriatur; nec ullam apud Deum dignitatem, nisi virtutibus quæsitam; nec virtutem ullam, nisi quæ divinæ donum gratiæ sit; nec ullam rerum humanarum notitiam, nisi quam ipsis communicet; nec ullam nos juvandi nisi precibus facultatem; nec ullam denique felicitatem, nisi quod perfecte divinæ voluntati subiecti sint atque conformes.

Si quis igitur apud se accurate perpendat nostros de Sanctis intimos

mes

mos sensus, is plane perspiciet eo in honore, quem eis mente præstamus, nihil omnino esse, quo supra rerum illos creatarum conditionem efferamus; unde iudicandum est, quæ sit illius honoris ratio, quem eis palam exhibemus, cum cultus exterior ad proferendos animi sensus sit institutus.

Cum autem is honor, qui ab Ecclesia Sanctis exhibetur, coram imaginibus reliquiisque sacris maxime appareat, quid de illis Ecclesia sentiat, exponendum est.

Concilium Tridentinum diserte vetat, ne imaginibus cre-
V. Imagines
dat inesse aliqua Divinitas, vel & reli-
virtus, propter quam sint colenda, quia: Con-
vel ab eis aliquid petatur; vel figa-
trid. sess.
tur in imaginibus fiducia. Vultque 25. Decr.
de cultu
honomem omnem, qui eis exhibetur & inv. &c.
referri ad prototypa, quæ illa re-
presentant.

Quæ singula Concilii verba totidem notæ sunt, quibus ab Ido-

Iolatris fecernamur ; cum adeo ab illis dissentiamus credentibus Divinum quid Imaginibus inesse, ut nullam eis virtutem tribuamus, nisi prototyporum in nobis excitandæ recordationis.

Gal. 2.
10.

Hoc fundamento nititur honos, qui Imaginibus exhibetur. Negari sane non potest, Christi crucifixi effigiem ob oculos positam, acriorem in nobis excitare memoriam ejus, *qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis*. Quam diu præfens oculis imago facit, ut in animo dulcissima recordatio perseveret, eo inducimur, ut quam simus tanti beneficii memores externis quibusdam signis testemur: nosque coram imagine demittendo, quantum divinum illius prototypum veneremur, ostendimus. Itaque ut stricte atque ex Ecclesiastica loquamur formula, cum honorem Apostoli vel Martyris imagini exhibemus, non tam imaginem

ginem volumus, quam *coram ima-* Pont. Rom.
gine Apostolum aut Martyrem ho- de ben.
norare. Ita loquitur Pontificale *imag. Sess.*
 Romanum; idemque pronuntiat *25. Decr.*
 Concilium Trid. cum ait: *de cult. &*
Hono- *inv. &c.*
rem, qui imaginibus exhibetur, ita
referrè ad prototypa, qua ille re-
presentant, ut per imagines, quas
osculamur & coram quibus pro-
cumbimus, Christum adoremus, &
Sanctos, quorum illa similitudinem
gerunt, veneremur.

Denique qua mente Imagines
 Ecclesia colat, ex eo honore col-
 ligi potest, quem cruci exhibet,
 Evangeliorumque codici. Perspi-
 ciunt omnes coram cruce eum a
 nobis adorari, *qui peccata nostra* 1. Pet 2.
pertulit super lignum, atque ita
 nos coram Evangeliorum Codice
 caput inclinare, eique cum palam
 defertur assurgere, ac venera-
 bundos osculari, ut honos ille om-
 nis ad æternam in eo oblatam
 veritatem referatur.

B 3 Omni

Omnino parum æquos esse oportet eos, qui idololatriam vocant affectum religiosum, quo caput coram crucis imagine aperimus & inclinamus, illius memores, qui pro nobis crucifixus est; essetque cæcus admodum, qui non adverteret quam longe intersit inter eos, qui Idolis confidebant, quod divinitatem iis quandam aut virtutem, ut ita dicam, affixam crederent, nosque, qui profitemur non alia causa uti Imaginibus, quam ut animum ad cælum tollamus, ubi aut Christum, aut Sanctos, in iisque ipsum Deum Sanctitatis omnis & gratiæ autorem veneremur.

Eodem sensu accipiendus est honos, quem prima Ecclesiæ imitati tempora sacris reliquiis exhibemus; Neque enim si perpenderent Adversarii, Sanctorum nos corpora respicere ut victimas, olim Deo martyrio vel pœnitentia
con-

consecratas, crederent nos honore
eis hoc animo exhibito ab honore
ipfi Deo exhibendo dimoveri.

Atque illud universim dicere
possumus: si diligenter attende-
rent, qua ratione noster in ali-
quem amor, ad ejus liberos & a-
micos, ac deinde quibusdam vel-
uti gradibus, ad ea, quæ effigiem
illius referant, & ad monumenta,
quæ ex illo supersint, ac tandem
ad omnia, quæ quovis modo ejus
memoriam revocent, indivisus
extendatur: si eundem honoris
esse processum intelligerent, cum
honor nihil aliud sit, quam timore
& reverentia mixtus amor: si de-
nique externum omnem Ecclesiæ
Catholicæ cultum a Deo profici-
sci, & ad Deum redire animadver-
terent, nunquam eo cultu, qui per
ipsum unum vigeat, ipsum puta-
rent ad æmulationem provocari.
Imo illud perspicerent, si Deus,
quamquam ab hominibus amari

ad æmulationem usque cupidus, nihil amori sibi debito detrahi putat, cum ejus causa diligimus proximum, eundem Deum etsi exhibendæ a fidelibus reverentiæ studiosum ad Zelum usque non ab iis judicare suum honorem imminutum, cum, sua in eum veneratione ducti, eos honorant, que ipse honoravit.

Verumtamen cum ea reverentiæ signa, quæ in sensus incurrunt, non sint omnia omnino necessaria, potuit Ecclesia nihil immutata fidei doctrina, externos illos actus plus minusve pro temporum locorumque & casuum varietate proferre: quippe quæ filios suos noluit visibilibus servilem in modum rebus adstringi, sed iis tantum excitari ac velut admone-ri, ut ad Deum se convertant, eique, quod a creaturis postulat, rationabile obsequium exhibeant.

Ex hac doctrina intelligi potest,
quam

quam vere dixerim fore, ut nostrarum maxima pars controversiarum, vocabulis sano sensu intellectis evanesceret, si in his argumentis tractandis Christianam charitatem sequeremur ducem. Constat quoque adversarios, si has expositiones, quibus expressa continetur Concilii Tridentini doctrina, placide perpenderent, non amplius objecturos, Christi a nobis mediationem lædi, Sanctosque invocari, aut adorari imagines eo modo, qui soli Deo debetur. Equidem cum certo sensu adoratio, invocatio, mediatorisque nomen Deo tantum Christoque; conveniat, facile est his abuti vocabulis, quo nostræ invidia doctrinæ confletur; at si bona fide assignato a nobis definiantur sensu, omni prorsus illa argumenta firmitate carebunt. Si qui vero alii Calvinianis supersint minoris momenti scrupuli, sibi tamen in

34 DOCTRINÆ CATH.

præcipua querelarum materia
satisfactum, cogente veritatis
conscientia, fatebuntur.

Cæterum nihil iniquius est quam
Ecclesiam eo nomine accusare,
quasi religionem in illo Sancto-
rum cultu omnem reponat; cum
ut jam a nobis observatum est, id
tantum fideles populos doceat
Trid. Concilium: *bonum esse & u-*
tilem illum morem nec verbum
addat amplius. Est ergo Ecclesiæ
ea mens, ut qui illum aut
contemptu, aut errore repro-
bent, eos damnet. Dam-
nare porro debet, cum ad
ipsam pertineat neque mo-
res salutare sperni, neque
doctrinam Antiquitati probatam
a Magistris recentioribus
damnari sinat.

*Seff. 25.
Decr. de
Cul. &
inv. &c.*

VI.

*Justifica-
tio.*

Illustrius etiam ostendet justifi-
cationis argumentum, quot quæ-
stiones nuda sententiæ nostræ ex-
positione tolli possint.

Non ignorant, qui Reformatio-
nis

nis, ut vocant, vel minimum hī-
 storiam norunt, primos ejus Auto-
 res hoc caput omnibus ita propo-
 sisse, ut omnium præcipuum,
 causamque discessionis maxime
 necessariam. Quare nullum est,
 quod magis oporteat recte in-
 telligi.

Primo credimus, *remitti nobis
 peccata gratis divina misericordia* *Concil. Tri-*
propter Christum. Ipsa sunt *Concilii*
Trid. verba in quo additur, *nos* *6. c. 9.*
ideo dici gratis justificari, quia nihil *Ibid. c. 8.*
eorum, quæ justificationem præce-
dunt, sive fides, sive opera, ipsam ju-
stificationis gratiam promeretur.

Cum vero peccatorum remis-
 sionem ita Scriptura nobis expo-
 nat, ut modo dicat ea a Deo opera-
 ri, modo auferri & Spiritus San-
 cti gratia deleri, qua novæ crea-
 turæ efficiamur; has omnes sen-
 tentias jungendas & colligendas
 putamus, quo perfecte intelliga-
 mus, quid sit peccatoris justifica-

tio. Quare peccata nostra non
tegi tantum, sed omnino deleri
eredimus sanguine Christi, &
gratia, qua regeneramur: quo
adeo non obscuratur, aut minui-
tur, quod de sanguinis illius vir-
tute ac pretio sentire debemus, ut
augeatur contra & illustretur.

Itaque Justitia Christi non im-
putatur tantum fidelibus, sed
actu ac re ipsa Spiritus Sancti ope-
ratione communicatur, ut ejus
gratia non justii tantum reputen-
tur, sed fiant.

Si enim, quæ in nobis est justitia,
coram hominibus tantum justitia
esset, non esset illa quidem opus
Spiritus Sancti. Est ergo & co-
ram Deo justitia, cum ab ipso
Deo charitatem in cordibus no-
stris diffundente efficiatur.

Certum tamen & nimis qui-
dem certum est, *carnem concupi-
scere adversus Spiritum, & Spi-
ritum adversus carnem, & nos*

Gal. 5.
vers. 17.

Jac. 3. 1.

*in multis omnes offendere. Itaque
justitia nostra licet per charitatis
infusionem sit vera, non est per-
fecta justitia propter concupi-
scentiæ pugnam : ut perpetuus
animi de culpis suis pœnitentiæ
gemitus, officium sit Christianæ
justitiæ vel maxime necessari-
um. Quare humiliter cum Augu-
stino fateri compellimur nostram
in hac vita justitiam magis consta-
re remissione peccatorum, quam
perfectiōne virtutum.*

De operum merito hæc docet **VIII.**
Catholica Ecclesia : *Proponenda* ^{Meritum}
est vita æterna & tanquam gratia ^{operum}
filiis Dei per Christum Jesum mi- ^{Sess. 6.}
sericorditer promissa ; & tanquam ^{c. 16.}
*merces ex ipsius Dei promissione bo-
nis ipsorum operibus & meritis fi-
deliter reddenda. At ne temeraria
meriti opinione, humana sibi fu-
perbia blandiatur, docet idem* ^{Ibid.}
Concilium, pretium omne meri-
tumque Christianorum operum

a gratia sanctificante, quæ nobis gratis in nomine Christi detur, atque illius, tanquam capitis in singula membra jugiter influentis, virtute proficisci.

Equidem scripta in Evangelio præcepta, adhortationes, promissa, minæ, exprobrationes, satis ostendunt, oportere nos voluntatis propriæ motu, Dei adjuvante gratia, salutem operari. At illud etiam est axioma longe certissimum, nihil posse liberum arbitrium, quod quidem ad æternam ducat felicitatem, nisi quantum a Spiritu Sancto movetur & erigitur.

Cum igitur Ecclesia intelligat, quodcunque boni facimus, id in nobis ab illo divino Spiritu eoque gratia fieri; credere etiam debet bona fidelium opera gratissima esse Deo, maximique apud illum pretii, meriti que vocabulo cum Christiana omni antiquitate
jure

jure utitur, eo maxime, quo vim, pretium, dignitatemque eorum, quæ divina operamur virtute, significet.

Sed cum operum nostrorum omnis a Deo, ea in nobis operante, sanctitas oriatur, eadem Ecclesia in Concilio Tridentino hanc Augustini vocem ut Catholicæ fidei doctrinam admisit: *Deum, cum suorum coronat merita, nihil coronare, quam sua ipse dona.*

Hic obsecramus eos, qui veritatem ac pacem amant, uti paulo fusius ipsa Concilii verba legere non graventur, atque omnia commenta, quibus doctrinæ nostræ invidia quæritur, aliquando objiciant. *Licet, inquit, bonis operibus in Sacris literis usque adeo Sess. 6. tribuatur, ut etiam, qui uni ex m^e. 16. nimis suis potum aquæ frigide dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: Et Apostolus testetur id, quod in præ-*
senti

fenti est momentaneum. & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: Absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel gloriatur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sint ipsius dona.

Seff. 14.
c. 8.

Fusa est illa doctrina per Concilium totum, quod in alia sessione docet, nos, qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia posse: ita non habet homo, unde gloriatur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos penitentia; qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Quare omnia petimus, omnia speramus, omnium gratias agimus per Dominum nostrum Jesum Christum,

stum, in ipso solo, & per ipsum
gratos nos esse Deo profite-
mur, nec aliam tribui nobis posse men-
tem intelligimus. Nostræ spem
salutis omnem in ipso uno adeo
reponimus, ut Deo quotidie inter
sacrorum solemnia ita loqua-
mur. *nobis quoque peccatoribus,
famulis tuis, de multitudine mis-
erationum tuarum sperantibus, par-
tem aliquam & societatem donare
digneris cum tuis Sanctis Apostolis
& Martyribus, intra quorum nos
consortium, non estimator meriti,
sed venia quasumus largitor,
admitte per Christum Dominum
nostrum.*

Quid ergo nunquam filiis, olim
suis, iisdemque nunc adversariis
persuadebit mater Ecclesia, vel
sua expositione fidei, vel Con-
ciliorum decretis, vel sacrificii
precibus, neque vitam, neque sa-
lutem, neque spem, nisi in uno
Christo ullam a se queri? Tanta
illius

illius spei vis est, ut per illam fi-
 lii Dei, qui in viis ejus ambu-
 lant, ea pace gaudeant, quæ, jux-
 ta Apostolum, *exsuperat omnem*
sensum. Licet autem spes illa
 promissis, minisque terrenis fir-
 mior sit, sedandisque conscientiæ
 tumultibus ac terroribus suffi-
 ciat: non omnem tamen ex animo
 timorem excutit, cum certum
 quidem sit, Deum nos ex sese nun-
 derelicturum; at nunquam de
 nobis ipsis securi simus, an illum
 nostra culpa simus repudiatis di-
 vinis inspirationibus amissuri.
 Nempe illi placuit hoc salutari
 metu quam filiis suis indidit fi-
 duciam temperare: quoniam, ut
 ait Augustinus, in hoc tentatio-
 num ac periculorum loco *tanta*
nostra est infirmitas, ut superbiam
possit generare securitas. Contra ti-
 mor ille, quo fit ut ex Apostolico
 præcepto *cum tremore salutem no-*
stram operemur, vigilantiores ex-
 hibeat,

Philipp.
 4. 7.

Philipp. 2.
 vers. 12.

hibeat, cogatque humili submis-
sione inhærere ei, *qui*, ut idem
Paulus ait, *operatur in nobis velle* *Ibiã*
& perficere pro bona voluntate. *vers. 13.*

Atque hæc sunt, quæ de justifi-
catione docere maxime necessa-
rium est, essentque iniqui admo-
dum adversarii, ni doctrinam
hanc Christianis sufficere fateren-
tur, quo sciant suæ gloriam salu-
tis omnem Deo per Christum ad-
scribendam.

Quibus expositis si jam ad exi-
les disputationes Calviniani Do-
ctores confugiant, unum est, quod
moneam; non jam decere eos
adeo se nobis exhibere difficiles,
postquam tot ac tanta Lutheranis
suisque ipsorum fratribus de
prædestinatione & gratia conce-
serunt: unde didicisse debent, ad
ea quæstionem totam esse redi-
gendam, quæ sunt constituendis
Christianæ pietatis fundamentis
omnino necessaria.

His

His se finibus cohibere si in
 animum semel inducant suum,
 brevi conticescent, nec obijcient
 ultra, Dei nos gratiam inanem
 reddere, quod bonis operibus, ut
 ipsi quidem volunt, omnia tri-
 buamus: cum verbis adeo per-
 spicuis Concilii Tridentini tria
 illa adeo in hac re decretoria
 capita ostenderimus: *nostra nobis*
peccata mera misericordia propter
Christum remitti: gratuito nos do-
no accepisse eam, quæ per Spiritum
Sanctum in nobis est, justitiam:
omniaque, quotquot facimus bona
opera, totidem esse gratiæ divinæ
dona.

Quare, fatendum est enim, qui
 sunt in illa secta doctiores, minus
 jam de hoc argumento contenden-
 dunt, quam initio faciebant, sunt-
 que pauci, qui non agnoscant, hoc
 quidem capite nullam prorsus
 dari a nobis discedendi causam.

Quod si tanta illa de justifica-
 tione

zatione quæstio, quam veluti suarum arcem disputationum primi illorum Authores constituerant, iis, qui maxime inter illos faciunt, jam non videtur esse præcipua: reputent ipsi, quid sit de sua secessione sentiendum: quid contra pro pace sperandum, si penitus imbuta de nobis iniqua iudicia, ac vetitam ab Apostolo contendendi libidinem tandem deponerent.

VIII.

Atque ut nulla hac in materia dubitatio superit, exponenda etiam est ratio, qua Deo per ipsius gratiam pro peccatis satisfacere nos posse credimus.

*Satisfactions,
Purgatorium, Indulgentia.*

Docent communi consensu Catholici solum Christum simul & hominem idoneum fuisse, qui pro suæ infinita personæ dignitate sufficientem Deo pro peccatis nostris satisfactionem offerret.

Cum autem supra, quam necesse erat, satisfecerit, duplici ratione potuit

potuit infinitam illam nobis satisfactionem communicare; aut ut plenam criminum remissionem nulla reservata pœna concederet; aut ut majorem pœnam minori, æternam scilicet temporaria commutaret. Hac priora via; cum & plenior sit, & divinæ liberalitati magis congruat, in baptismo statim utitur: alteram usurpat in ea venia, quam baptizatis largitur in peccatum relapsis, eo scilicet compulsus ipsorum nequitia, qui tantæ benignitatis immemores, primis ejus donis fœde abusi sunt; quo fit, ut eis æterna remissa pœna, temporaria sit aliqua toleranda.

Neque hinc inferendum est, Christum pro nobis plene non satisfecisse; immo cum pretio pro salute nostra infinito persoluto summum in nos jus quæsierit, veniam profecto nobis ea conditione, ea lege, ea præscriptione, qua videtur, concedit. Et

Et quidem in Servatorem ingra-
 ti contumeliosique simus, si de in-
 finito illius merito eo colore am-
 bigamus, quod peccatum nobis A-
 dami condonando, non omnibus
 simul liberet, quæ ex illo sequun-
 tur incommodis, mortique adhuc
 & tot corporis animique morbis
 ab illo peccato ortis obnoxios re-
 linquat. Christum sufficit id pre-
 tium solvisse semel, quo quibus
 obruimur malis omnibus libere-
 mur aliquando: nostrum est cum
 humilitate & gratiarum actione
 beneficii partem quamlibet acci-
 pere, attendentes quibus gradi-
 bus nos ad perfectam libertatem
 adducat, eo scilicet ordine, quem
 pro sua sapientia, tum ad utilita-
 tem nostram constituat, tum ad
 illustriorem justitiæ humanita-
 tisque suæ demonstrationem.

Pari ratione ægre ferre non de-
 bemus eum, qui tantam nobis in
 baptismo benignitatem ostendit,
 diffi-

difficiliorem se exhibere tum,
cum tanti mysterii pacta pro-
missaque violavimus.

Justum est, imo nobis saluta-
re, Deum cum peccatum nobis
æternamque simul, quam meriti
eramus, pœnam condonat, tem-
porariam a nobis aliquam exige-
re, qua nos in officio contineat,
ne iustitiæ divinæ vinculis citius
absoluti, veniæ facilitate abutae
mur, temerariæque nos fiducia
permittamus.

Huic ergo ut debito satisfiat,
laboriosis quibusdam sumus ope-
ribus obnoxii humili & pœniten-
ti animo obeundis: atque ejus-
modi operum necessitas anti-
quam Ecclesiam eas pœniten-
tibus pœnas, quæ canonicae vocan-
tur, imponere compulit.

Cum igitur aspera peccatoribus,
& laboriosa opera injungit, iique
illa submisso animo subeunt, ea
dicitur satisfactio: cum autem
propter

propter eximiam pœnitentium pietatem, aliave bona opera, quæ iis ipsa præscripserit, e debita aliquid ipsis pœna remittit, ea dicitur Indulgentia.

Nihil aliud de Indulgentiis credendum proponit Tridentina Synodus, quam *potestatem eas conferrandi a Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum esse salutarem.* Additque *retinendum illum, adhibita tamen moderatione, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* Unde patet Indulgentiarum dispensandarum modum ad disciplinam pertinere, Quicumque ex hac vita in Christi gratia & charitate decedunt, nondum tamen persolutis his pœnis, quas iustus reservavit Deus, in altera vita luunt. Quare adducta est omnis retro Christiana Antiquitas, ut pro fidelibus in pace & communione Ecclesiæ vita functis, preces, eleemosynas fa-

C

crisi-

*Contin.
Sess. 25.
Decr. de
Indulg.*

erificiaque offerret, cum certa fide crederet, his illos auxiliis iuvari.

Sess. 25.
Decr. de
Purg.

Id nobis de animis in Purgatorio detentis credendum proponit Tridentina Synodus, nec definit, quæ sit ibi pœnarum ratio, nec alia ejusmodi, quibus inquirendis magnam vult adhiberi cautionem, eosque improbat, *qui incerta vel specie falsi laborantia evulgent.*

Hæc illa est sancta & inculpata de satisfactione Ecclesiæ Catholice doctrina, ex qua tamen ipsi tanta conflata invidia est. Qua sic exposita, si Calviniani objiciant, injuriam nos Christi satisfactioni facere, oblitos oportebit eorum, quæ diximus; integrum scilicet a Servatore redemptionis nostræ pretium esse solutum, nihil illi pretio, quippe infinito, deesse, nec pœnas, quas diximus fuisse reservatas, quod id pretium ullatenus deficiat,

deficiat, sed quod ipse nos, certo ordine constituto, velit iusto metu, salubrique disciplina cohibere.

¶ Sin opponere porro pergant, id nobis persuasum, posse nos ex nobis pro aliqua parte pœnæ peccati debitæ satisfacere, quis non videat contrariam sententiam nostræ fidei decretis aperte confirmari, ex quibus liquido constat, salutem nostram omnem misericordiæ tantum ac gratiæ opus esse: non minus esse Dei, quod ejus virtute nos agimus, quam quod ipse solus mera sua voluntate: nec omnino minus ab eo proficisci, quod ipsi damus, quam quod ipse nobis.

Quibus addendum eam, quam antiquam omnem Ecclesiam sequuti, satisfactionem vocamus, eo tantum valere, quod infinitam Christi satisfactionem nobis applicet, reddatque propriam.

Eadem responsione placari debent, qui tunc offenduntur, cum

dicimus ita Deo gratam esse fraternam charitatem, communio-
nemque sanctorum, ut sæpe et-
iam, quas pro aliis invicem offe-
rimus satisfactiones, accipiat.

Videntur illi non intelligere,
quam Dei sit omne, quod sumus,
quamque necessario, quidquid fi-
delibus, qui Christi membra sint,
pro sua benignitate Deus tribuit,
id omne ad caput, Christum sci-
licet, referatur.

Certe iis, qui legerint ac me-
ditati sint scripturarum locos, qui-
bus patet, Deum eam mentem in-
spirare suis, ut sese in jejunio, in
cilicio, in cinere, non pro suis
tantum, sed & pro universi po-
puli peccatis affligant, mirum, aut
insolens non videbitur id, quod
asserimus, Deum nempe motum
infinita bonitate sua, atque incre-
dibili bene amicis faciendi vo-
luptate, quos ultro subeunt cru-
ciatus ita accipere, ut eorum in-
tuitu

tuitu pœnam populo debitam jam
jamque paratam, imminentem,
mitigatam velit.

Unde patet Patrem optimum,
atque in suos filios indulgentissi-
mum, satisfaciens sibi aliis,
in alios facile mitigari, qua re ho-
norem habet Christo dilecto filio,
corporisque ejus mystici san-
ctam unitatem, ac mirabilem il-
lam membrorum omnium, sub
tanto capite, communionem so-
cietatemque commendat.

Ordo doctrinæ postulat, ut jam IX.
de Sacramentis loquamur, quibus *Sacramen-*
Christi nobis merita impertiun-^{ta,}
tur & accommodantur. Cum au-
tem in his controversiis, de mta
ea, quæ ad Eucharistiam spectat,
non tantæ animorum contentio-
nes esse videantur, paucis ea di-
luemus statim, quæ de reliquis Sa-
cramentis objici maxime solent,
servata ultimo loco omnium gra-
vissima Eucharistiæ quæstione.

Novi fœderis Sacramenta non sacra tantum signa sunt, quæ gratiam indicent, nec sigilla, quæ datam confirmet, sed Spiritus Sancti instrumenta, quibus adhibetur illa nobis & confertur vi verborum, quæ proferuntur, actusque hujus, qui in nobis exercetur exterius; modo non simus ita male affecti, ut obicem influenti gratiæ opponamus.

Cum vero Deus tantam externis signis virtutem annectit, quorum natura sua nulla est ad eam rem efficiendam ratio, aut vis, perspicue ostendit, præter id omne, quod in animis nostris probo sanoque affectu efficere possumus, necessario ad nostram iatisfactionem requiri, specialem Spiritus Sancti operationem, singularemque meritorum Christi communicationem, quæ nobis per Sacramenta demonstratur. Itaque repudiari hæc doctrina
non

non potest, quin & Christi meritis & divinæ in regeneratione nostræ exhibitæ potentia fiat injuria.

Signa sacrosve ritus agnoscimus omnino septem, a Christo instituta, ut media ordinaria, quibus novus homo in Christo regeneratus, sanctus & perfectus evadat. Quæ quidem a Deo instituta esse Scripturæ ostendunt, aut instituentis Christi verbis expressis, aut gratia quam eadem Scriptura illis annexam doceat, quæque Dei mandatum necessario supponat.

Cum infantes pueri Baptismi *Baptismus* defectum, nec fidei, spei, charitatisve actibus, nec voto Sacramenti suscipiendi supplere possint; ad eos credimus, nisi re illud ipsa suscipiant, nullo modo redemptionis gratiam pervenire, atque ideo in Adamo morientes partem habere cum Christo nullam.

Atque hic observatu dignum

C 4 est,

est, Lutheranos pariter cum Ecclesia Catholica credere, omnimodam in parvulis baptismi necessitatem; pariterque mirari negatum id esse, quod homo ante Calvinum nemo ausus erat in dubium adducere, adeo firmiter fidelium omnium mentibus inhærebat.

Non verentur tamen, qui Reformati dicuntur, suos, perinde atque infidelium liberos, nulla insignitos Christianæ religionis nota, nulla ejus gratia munitos, sponte mori sinere, si forte indictum conventibus suis diem mors præveniat.

Confir-
matio.
Actor. 8.
v. 15. 17.

Cum impositionis manuum a Sanctis Apostolis, ad confirmandos adversus persecutiones fidelium animos, adhiberi solitæ, is præcipue effectus sit, ut Spiritus Sanctus interius illabatur, suaque infundat dona, eo colore non debuit ab Adversariis rejici, quod
jam

jam in nos Spiritus Sanctus conspicuus non descendat. Itaque Christianæ illam Ecclesiæ omnes, jam inde ab Apostolorum temporibus, religiosissime retinuerunt: adhibito etiam sacro Chrismate, quo hujus Sacramenti vis, expressiore internæ Spiritus Sancti unctionis significatione, demonstraretur.

Credimus placuisse Christo, ut *Pœnitentia & Confessio Sacramentalis. Matth. 18. v. 18. Joan. 20. vers. 23.* qui se per Baptismum Ecclesiæ subjecerint, Evangelicasque deinde violaverint leges, ejusdem iudicium Ecclesiæ in foro pœnitentiæ subeant, in quo datam sibi potestatem exercet, remittendorum retinendorumque peccatorum.

Jam vero quod Ecclesiæ Ministris dimittendorum peccatorum datum est mandatum, ejus adeo sunt generalia verba, ut ad publica peccata coarctari, sine temeritate, non possit; cum iidem Ministri,

58 DOCTRINE CATH.

in absolutione Christi nomine pronuntianda expressa mandati sequantur verba, ab ipso Christo, cujus vice constituti iudices sunt, iudicium censetur exerceri. Ille pœnitentem invisibilis Pontifex interius absolvit, dum externo Sacerdos ministerio fungitur.

Quod Iudicium cum sit licentiæ frænium necessarium, monitorum prudentium fons uberrimus, efficacissimum peccata dolentibus solatium, quando non generatim tantum eis, ut a Calvinianis fieri Ministris solet, data venia denuntiatur, sed re vera Autoritate Christi causa speciatim excusata, & plene cognita absolvuntur: credere non possumus tot ab Adversariis considerari commoda posse, quin eorum iacturam desiderent, ejusque reformationis eos pudeat, qua tam salubris usus, ac sanctus antiquatus est.

Extrema

Cum extremæ unctioni juxta

B. Ja.

B. Jacobi testimonium, expref-
 fam remittendorum peccatorum *unctio.*
 levandarumque corporis ægritu- *Jac. 5. 14.*
 dinum promiffionem Spiritus
 Sanctus adjunxerit, nihil facro il-
 li ritui deest, ut vere Sacramen-
 tum fit. Tantum observandum *Sess: 14,*
 juxta Concilii Tridentini doctri- *c. 2. de*
 nam, animo magis, quam corpore *Sac. Ext.*
 juvari ægrotum; cumque legis *Unct.*
 Evangelicæ ea ratio fit, ut sem-
 per in ea spiritualia bona maxime
 animis proponantur, illa nobis esse
 ex hac sacra unctione absolute ex-
 pectanda, bene modo affecti simus.

At vero valetudinis levamen ita
 tantum conceditur, si ad æternam
 salutem proficit, idque efficitur
 juxta occultissimas divinæ Provi-
 dentia rationes, variumque infi-
 delibus præparationis & fidei
 modum.

Qui novam a Christo datam *Matrimo-*
 esse attenderit Matrimonio for- *monium.*
 nam, cum ad duos ita sanctam il- *Matth. 19,*
vers. 5s

Ephes. 5.
vers. 32.

lam societatem restrinxit, ut nulla ratione dissolvi possit, ac præterea viderit, insolubile illud vinculum æternæ Christi cum Ecclesia signum conjunctionis esse: Haud ægre intelliget, fidelium Matrimonium, Spiritu Sancto divinaque gratia comitante, copulari, Deumque benignitatis colaudabit, qua nostræ ita voluerit nativitatis originem consecrare.

Ordo
1 Tim. 4.
2. Tim. 1.

Tanta tamque præsens Spiritus Sancti virtus, divinæque infusio gratiæ, eam comitatur manuum impositionem, qua sacrorum Ministri fiunt, ut merito debeat ille ritus inter Sacramenta censer.

Conf. fidei.
Art. 35.

Atque etiam Adversarios, fatendum est, eo numero non plane eximere ministrorum consecrationem, sed tantum ab his Sacramentis secernere, quæ toti sunt Ecclesiæ communia.

X.
Ecclesiæ
Doctrinæ

Ad disputationem de Euchari-
stia tandem aliquando perveni-
mus,

mus, in qua nostram fusius expo-
nere doctrinam erit necesse, ita
tamen, ut a præscriptis finibus
longius non recedamus.

*de vera
Corporis &
sang. Chri-
sti in Euch.
presentia;
& ut illa*

Christi Corpus & sanguinem
vere in hoc Sacramento præsen-
tem adesse, iis verbis, quibus insti-
tutum est, firmissime adstruitur,
quæ quidem verba ita accipimus,
ut sonant; nec magis a nobis qua-
rendum est, cur literali ac proprio
inhæreamus sensui, quam a viato-
re, cur regiam sequatur viam.

*verba in-
telligat: h
e. corpus
meum.*

Allorum est, qui ad tropos fi-
gurasque confugiunt, semitasque
carpunt devias, facti rationem
reddere. Nos, qui nihil in his
Christi verbis deprehendimus,
cur alieno ea sensu opus sit acci-
pere, eo ipso justam nobis esse pu-
tamus causam, cur nativum aper-
tumque teneamus. At longe
etiam firmiter ei sententiæ adhæ-
rescimus, cum Christi consilium in

hoc Sacramento attendimus. Id autem, quam planissime potero, aperiam, his innixus fundamentis, quæ ab Adversariis rejici posse non putem.

Matt. 26.

Luc. 22.

Ajo igitur his Servatoris verbis: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur,* id demonstrari: ut prisci Judæi non spiritu tantum cæsarum pro se hostiarum oblationi communicabant, sed mactatis re ipsa carnibus vescerantur, quod signum ipsis erat, oblationis eos esse participes: ita Christum, cum se nostram ipse victimam fecerit, ejus sacrificii carnem a nobis re ipsa comedi voluisse, ut unicuique nostrum sanctissimæ carnis vera communicatio, & pro nobis acceptam illam, & pro nobis immolatam perpetuo testaretur.

Levit. 6.

vers. 30.

Immolatam pro peccatis hostiam comedere Judæis prohibuit Deus, quo veram scelerum expiatio-

piationem, nec lege, nec animantium sanguine fieri doceret: eaque prohibitionem populus universus quodam veluti interdicto tenebatur, ne remissionis peccatorum re ipsa posset esse particeps. Contra corpus Christi, veram scilicet hostiam, pro peccatis immolatam, necesse erat a fidelibus manducari, ut impletam in Novo Testamento peccatorum remissionem eo manducando intelligerent.

Sanguinis etiam esu Judaico populo interdixit Deus, cuius ea prohibitionis imprimis erat ratio, *quod sanguis nobis datus sit, ut super altare in eo expiamus pro animabus nostris.* Contra Servatorem ideo biberendum propinat sanguinem, *quod effundatur in remissionem peccatorum.*

Tam igitur vere ac realiter in *Matt. 26.*
sacris mensis carnem Christi san- *vers. 28.*
guinemque sumimus, quam vere

in novo Fœdere confertur; gratia, expiantur peccata, Christi que sacrificio participamus.

Cum tamen & fidem exercere nostram vellet, & simul facere, ne a suæ carnis esca, sanguinisque potione abhorreamus, si propria specie sumenda essent, ea nobis aliena specie involuta præberi æquum erat. Quibus rationibus si eo Christus adductus est, ut nostræ nobis carnem hostiæ, alio quam Judæis modo, comedendam daret, non propterea debuit de veritate quidquam aut substantia detrudere.

Patet igitur Christum, quo veteres impletet figuras, nosque in veram oblatæ pro peccato nostro victimæ possessionem induceret, suum nobis re ipsa corpus, suumque sanguinem dare voluisse: quod adeo manifestum, ut Adversarii quoque nobiscum in eo sentire, videri velint, cum id nobis inge-

ingerere non desinant, se quidem non negare in Eucharistia corporis & sanguinis Christi veritatem, aut utriusque veram communicationem. Id vero, quo sensu dicant, postea expendemus; eorum enim placita post expositam Ecclesie Doctrinam explicanda putamus. Interim si verborum Christi: *hoc est corpus meum*, tanta simplicitas vel ipsos adduxit, ut faterentur, Servatorem nostrum, cum ea verba protulit, id in mente habuisse, ut suam nobis carnem vere ac re ipsa traderet, mirari profecto non debent, quod eo intellecto Christi consilio, ad veritatem ipsam, non autem ad figuram, aut tropos omnia referamus.

Cum enim Christus alias tam diligens in iis exponendis, quæ parabolis & figuris involuta docuisset, nihil hic explicandæ mentis causa dixerit, nati vo ipsum sensui verba

verba reliquisse constat. Scio equidem Adversarios affirmare rem per se satis ipsam loqui: manifestum est enim, inquit, quæ Christus præbet, panem tantum & vinum esse. At evanescit illa argumentatio, cum attendimus eum loqui, cujus Authoritas sensibus præstet, cujus potentia naturæ dominetur universæ. Sane filio Dei tam promptum fuit efficere, ut suum ipsius corpus in Eucharistia sisteretur, *hoc est corpus meum* dicendo, quam efficere, ut mulier ab infirmitate dimitteretur his vocibus: *mulier dimissa es ab infirmitate tua*. Aut vitam Adolescenti servare, dum respondet Patri, *filius tuus vivit*; Aut præstare denique, ut paralytico vere peccata dimittantur, his verbis professendis: *remittuntur tibi peccata tua*.

Luc. 13.
vers. 12.

Joan. 4.
vers. 50.

Matth. 9.
vers. 2.

Cum igitur nobis non sit laborandum, qua sit ratione, quod ait, effecturus, idcirco ejus verbis præ-

præcise inhæremus. Nam qui, quodcumque vult, continuo facit, is profecto verbis, quod dicit operatur, faciliusque omnino Dei verbo fuit naturæ leges infringere, quo ipsius dictis sua constaret veritas, quam nos alienis interpretationibus, quibus omnes sermonis evertuntur leges, mentem accommodare.

Atque illæ quidem sermonis leges docent, eam signorum esse vim, ut quæ signa sic se habent, ut ipsius rei naturaliter quodammodo referant effigiem, eamque subjiciant oculis, ea ejusdem nomen rei sortiuntur, cum illius speciem ex sese, ac necessario in mentem revocent. Signis quoque arbitrariis, quæque ab instituto pendent, idem quoque convenit, certis licet præscriptionibus, si jam usu recepta, hominum mentibus ipsa consuetudine penitus sunt insita.

Quod

Quod autem signum ex sese nullatenus ad rem referatur, ut fragmentum panis hominis corpori designando accommodatum, id ita afferri in medium, ut statim ipsi signo, nulla expositione adhibita, nulla conventionē facta, nomen rei tribuatur, quod in cœna fecit Christus; id vero ejusmodi est, ut nullo usquam in scripturis, ne dicam in omni hominum sermone, exemplo comprobetur.

Neque etiam Calviniani tropico illi sensui, quem Christi verbis affinxerunt, ita immorantur, quin agnoscant, simul ipsius mentem fuisse, ut verissime atque optimo jure carnem nobis suam sanguinemque præberet.

XI.

Jam vero exposita Ecclesiæ doctrina de his verbis: *hoc est corpus meum*, non est omittendum quid de illis sentiat, quæ Christus sub-

Hoc facite *in* meam commemorationem.

junxit:

juxit: Hoc facite in meam commemorationem. Ac primum non est Luc. 22. vers. 19.
 dubium, quin Christus id agat, 1. Cor. 11. vers. 24.
 ut mortem, quam pro nobis pertulit, eo in mysterio memoria
 recolamus, docente Apostolo, atque ex his verbis inferente, nos
 hoc Sacramento percipiendo, 1. Cor. 11. vers. 26.
tem Domini annuntiare. Non est autem existimandum, illa domi-
 nicæ mortis recordatione, veram corporis ipsius præsentiam ex-
 cludi. Imo, qui ea perspexerit, quæ modo a nobis enarrata sunt,
 is manifeste intelliget, præsentia reali commemorationem illam
 inniti. Ut enim Judæi, cum pacificis vescerentur hostiis, immo-
 latas pro se illas meminerant, sic nos cum Christi, victimæ scilicet
 nostræ, carnem comedimus, mortuum illum pro nobis debemus re-
 cordari. Illa igitur ipsissima caro, cum a fidelibus manducatur, in
 animis nostris non tantum immo-
 latio-

lationis memoriam renovat; sed etiam confirmat veritatem: adeoque in juncta nobis a Christo commemoratio carnis ipsius præsentiam non excludit, ut contra suavis illa Domini pro nobis immolati recordatio eo potissimum excitetur, quod in Sacra mensa hujus sacrificii, caro re vera sumenda sit, cum fieri nequeat, ut eum obliviscamur suum pro nobis corpus in sacrificium obtulisse, a quo illam nobis comedendam præberi victimam quotidie videamus.

Itane vero Christiani homines eo colore, quasi velint passionis dominicæ memoriam in cœna celebrare, tam piæ commemoratio- ni, quod habet efficacissimum dulcissimumque, detrahent? Nunquamne perpenderit, non id præcepisse Christum, ut ejus meminerimus tantum, sed ut carnem manducando sanguinemque bibendo meminerimus? Series ipsa
pen-

penfetur, visque verborum non id modo dicit, quod intelligere Calviniani videntur, panem Eucharistiæ, vinumque fui nobis corporis sui que sanguinis memoriale quoddam ac monumentum futurum; sed monet, ut id agendo, quod præcipit, hoc est, corpore ejus ac sanguine fumendo, ipsius meminerimus. Nam quid aliud poterat efficacius invenire, quo fui memoriam commendaret, nostrisque animis penitus infingeret? Si liberos tam suaviter subit patris ac paternæ charitatis recordatio, cum ad tumulum accedunt, quo conditum ejus corpus sit: quam præiens in nobis memoria debet, quam ardens charitas excitari, cum sub involucris faceris, mysticoque illo, ut ita dicam, sepulcro, ipsissimam Christi pro nobis immolati carnem, vivam illam carnem, atque vivificam tenemus, ac sacrum cruorem
 amore,

amore, quo fusus est, adhuc fervidum, spiritus denique & gratiæ plenum? Sin pergant adversarii negare, eum, qui sui nos meminisse jubeat, suam vere nobis substantiam præbere, rogandi tandem erunt, ut secum ipsi consentiant.

Veram in Eucharistia Christi substantiam vere communicari, neque ipsi diffitentur; si loquantur serio, si ea doctrina mera ludificatio non est, nobiscum affirmament necesse est, non omnem recordatione præsentiam excludi, sed eam tantum, qua sensus afficiantur. Id nos quoque dicimus, qui ut adesse Christum, ita non adesse præsentem sensibus, ultro profitemur.

Sin autem ulterius quærat, cur nobis non sit fatis, Christum Eucharistiæ adesse per fidem, quem a sensibus abesse longissime, vel ipsi fateamur; & respondere facile

facile est & sermonis ambiguitatē diluere. Aliud est Christū nobis per fidem præsentē adesse, aliud, quod præfens fit, per fidem nos cognoscere. Prior illa oratio denotat non adesse revera Christū; sed morali tantum, ut ajunt, præsentia: posterior vero quam certa ac vera fides est, tam certam ac veram prædicat esse præsentiam. Illa erga præsentia tam vera per fidem semel cognita *Iusto, qui ex fide vivit,* plenissime sufficit, ut ejus intimi per-
 2. 4.
 moveantur sensus, fiantque ea omnia, quæ modo memorata sunt.

Verum ut omnes semel, quibus XII.
 uti Calviniani solent, ambiguitates *Calvinianorum doctrina de vera præsentia expositio.*
 tollantur, simulque appareat, quatenus ad nos accesserint, licet solam Ecclesiæ doctrinam enarrandam susceperim, utile tamen erit eorum hic sententiæ expositionem ad jungere. Partes habet ipsorum doctrina duas. Altera nisi corporis ac sanguinis figuram;

D

ram;

ram; altera nil nisi rem ipsam, hoc est, corpus & sanguinem, eorumque substantiam ionat. Jam utramque ordine partem inspiciamus.

Principio inutile a jure esse ingens illud veræ præsentia, quod admittimus, miraculum: Christum pro nobis mortuum ad nostram sufficere salutem; hujus nobis sacrificii virtutem satis per fidem communicari, satisque nos per verbum Dei, de hac fieri communicatione certiores: quod si sensibilibus & conspicuis signis id verbum confirmandum sit, & quasi vestiendum, quo magis hæreat animo, pura nobis symbola, qualis aqua Baptismi, sufficere; ut Christi Corpus sanguinemque ætelo deducere necesse non sit.

Nihil hac explicandæ Domini-æ Coenæ ratione videtur esse facilius: ipsa tamen illa Adversariis sufficere debere visa non est. Sciunt ejusmodi commentis abductos

ductos Socinianos magnum incarnationis miraculum negasse. Poterat nos Deus, inquit hæretici homines, sine tot ambagibus servare; culpas nobis modo condonaret, doceretque nos, quod abunde poterat, cum id quod ad doctrinam, tum id quod ad mores pertinet, viri cujusdam Spiritu Sancto pleni & verbis & exemplis: nec eum propterea Deum efficere opus haberet. At ejusmodi argumentorum Calviniani nobiscum infirmitatem agnovere, quæ in eo apparet, primum quod nostrum non sit mysteria aut negare, aut asserere, prout ad nostram nobis salutem utilia, vel inutilia videntur. Arcanas Deus mysteriorum rationes solus novit. Nostrum est omni ope eniti, ut ea nobis utilia ac salutaria fiant, quod profecto præstabimus, si talia credimus, qualia proponuntur, ac divina beneficia eo arripiamus animo,

mo, quæ præbētur. Deinde omiſſa illa, de qua tam prolixè in ſcholis ſuis Calviniani diſputāt inani quæſtione, an alia nos via Deus poſſet quā ſui incarnatione filii, ac morte ſervare; e ſacris litteris accepiffe fat eſt, id egiffe Dei filium, ut ſuam nobis charitatem teſtatam relinqueret his rebus effectis, quæ mentem noſtram, ac vim omnem humanæ cogitationis exſuperent, ea nempe charitas impulit, ut homo fieret, ſeque nobis tam arte conjungeret: ea charitate adductus eſt, ut quam vere corpus humanum ſuſcepit, tam vere pro nobis immolaret. Cohærent illa conſilia omnia; ubique ſibi conſtat effuſa illa charitas mira omnia ſpirans atque perficiens. Quare cum Chriſto videbitur quam ſuis omnibus generatim benignitatem, eandem experiendam præbere ſingulis, ſeque totum unicuique potiundum dare, non deerunt profecto

fecto artes, quibus amorem expleat tam vera sui communicatione, quam vera sunt cætera, quam inde a suæ incarnationis exordio pro nostra salute gessit. Nil igitur mirum, si amore victus unicuique nostrum carnis suæ ac sanguinis substantiam dederit. Nimirum id agebat, uti animis nostris ingereret altius ea se nostri gratia volentem & suscepisse, & in sacrificium obtulisse. Priora beneficia posterioribus fidem faciunt; ipsa rerum series, ipse mysteriorum ordo a nobis postulat, ut certa fide omnia complectamur, nec porro hæsitare sinit expressa ipsius oratio.

Et quidem Adversarii pervidere Christianos, Dei se tam vere nobis communicantis beneficiis, charitatisque assuetos, nunquam acquieturos, si nudas tantum figuras, nuda Sacri corporis sanguinisque signa in Eucharistia celebranda audirent: quare nolunt eo

nomine accusari, quod ipsam Christi substantiam vere communicari negent. Imo perinde ac nos asserunt Christum in Sacra cœna propriæ substantiæ nos participes facere, eundem *nos alere & vivificare corporis sui sanguinisque substantia*; cumque existiment satis futurum non fuisse, si aliquo signo testificaretur, ad nos pertinere sacrificium, quod obtulit, ejusque virtutem, perspicue confirmant Servatoris corpore in cœna nobis dato, ea de communicatione nos fieri certiores. Verum illa verba ut sunt plane illustria, ita nobis postea diligentissime expendenda venient.

Habemus interim in Eucharistia corpus sanguinemque Christi re ipsa præsentia, vel ipsis fatentibus Calvinianis, quod enim *secundum suam* propriam Substantiam communicatur, id præsens adsit, re ipsa necesse est. Nec me fugit

Cat. dim.
53. *Conf.*
fidei art.
36.

Cat. dim.
52.

fugit, hanc ab ipsis ita communicationem exponi, ut spiritu dicant fieri & per fidem; sed non minus quoque apud ipsos certum est revera fieri. Cum autem fieri nequeat, ut corpus quod spiritu tantum ac per fidem communicetur idem intelligatur revera, & secundum propriam communicari substantiam, neque item fieri poterat, ut utramque partem tam dissidentis doctrinæ pariter tuerentur, coactique sunt duo quædam ponere, quæ nisi revocata doctrina Catholica constare non possint.

Primum est, Christum nobis in Eucharistia certo quodam modo dari, qui neque baptismo, neque Evangelii prædicationi conveniat, quique ejus mysterii omnino sit proprius. Quæ ex hoc sequantur placito, jam videbimus: videamus prius ut a Calvinianis concedatur.

Nullius hic Authoris privati

testimonium adducam; sed ipsissima Catechismi verba quo loco exponit, quæ ad cœnam pertinent. Ibi disertis verbis ait, non solum vere nobis in cœna Christum dari & quoad propriam ipsius substantiam; sed licet nobis vere & per baptismum & per Evangelium communicetur, tamen ex parte tantum ibi & non plene communicari. Ergo in cœna plene & non ex parte datur.

Cat.
Dim. 53.
Dim. 52.

Ex parte quid, an plene accipiat, mirum quantum interest. Quare si alibi Christus semper ex parte tantum, in cœna plene recipiatur; Sequitur ad versariis consentientibus, atque ultro præeuntibus, quærendam in cœna eam participandi rationem, quæ ita sit ejus sacramenti propria, ut neque baptismò, neque prædicationi conveniat. At simul id quoque sequitur participationem illam a sola fide non pendere; cum fides in omnes omnino Christiani hominis

nis actus diffusa & in prædicatione & in baptismo æque ac in cœna reperiatur. Et vero observatu dignum est, quantumvis Calviniani Baptismum & Evangelii prædicationem cœnæ dominicæ æquaverint, eo scilicet quod Christus in hisce actionibus vere communicetur, auctos tamen non fuisse in Catechismo dicere eundem nobis Christum quoad propriam substantiam in baptismo & in prædicatione dari, quod de cœna dicere minime dubitarunt.

Intellexere ergo nisi cœnæ tribueretur Christi possidendi certus quidam modus, qui hujus sacramenti peculiaris esset, omnino non constare mysterii rationem: neque porro, ut id fiat, adduci posse fidem, quæ omnibus Christiani hominis actibus sit communis. Jam vero peculiarem illum Christi in sacra cœna possidendi modum adeo verum & realem esse

82 DOCTRINÆ CATH.

oportet; ut fatentibus Adversariis fideli populo propriam corporis Christi sanguinisque substantiam præbeat. Quare ex ipsorum doctrina omnino concludendum est, esse aliquem in Eucharistia verum corporis Christi sanguinisque reipta percipiendi modum, qui per fidem non fiat: quod Catholica doctrina docet, atque id primum est placitum a Calvinianis ultro concessum.

Alterum sumitur ex ejusdem Catechismi modo a me allegatis sequentibus verbis, quo loco docetur: *Corpus Domini Jesu in quantum semel oblatum est in sacrificium, ut nos Deo reconciliaret, nobis nunc dari, ut cettiores nos faciat, nos illius esse reconciliationis participes.*

Si quis his vocibus sensus inest: si non illæ sonitus inanis sunt vanumque ludibrium, id profecto significant, non nudum nobis a Chri-

Christo symbolum, sed proprium corpus dari, quo certiores nos reddat oblatus ab ipso Sacrificii, ibique cum genere humano reconciliatæ amicitiae nos esse participes. Quod si Dominici Corporis perceptio fructum mortis ipsius nos participare confirmat, participationem fructus a perceptione corporis distingui necesse est, cum alterius altera pignus sit. Jam si coguntur Adversarii participationem Dominici Corporis a participatione fructus per mortem ejus allati in cœna distinguere, merito affirmaverim, distinguendam quoque ipsis esse divini participationem corporis ab illa omni participatione, quæ spiritu fit per fidem. Neque enim unquam illa posterior participandi ratio duos illis exhibebit actus distinctos, quorum altero dominicum Corpus, altero sacrificii dominici fructum percipiant; cum in-

telligere nemo queat, quid inter-
 sit inter hæc duo: *corpori Christi*
participare per fidem & fructui mor-
tis Christi participare per fidem. Ne-
 cesse igitur est agnoscant, præter
 eam communionem, qua spiritua-
 liter corpori Christi, unaque spi-
 ritui, fructu mortis ejus perce-
 pto, sociamur, aliam omnino
 eamque realem, atque verissi-
 mam ejusdem corporis commu-
 nionem esse, qua velut certo pi-
 gnore de priore illa securi simus,
 modo perversis affectibus tantum
 non avertamus beneficium. Hæc
 necessario includuntur his placi-
 tis, de quibus consentiunt; nec
 illa unquam ulla vel minimum
 probabili ratione expedient, nisi
 ad Ecclesiæ sententiam rever-
 tantur.

Quis hisce moveri non sentiat?
 Quis non admiretur vim illam
 occultam Veritatis? Quæcunque
 ex concessis placitis consequun-
 tur,

tur, ea omnia in Ecclesiæ Catholicæ sententia illustrem intellectum habent; Catholici vel minime docti nullo negotio capiunt eam nobis in Eucharistia cum Christo communionem esse, quæ neque in Baptismo, neque in Evangelii prædicatione reperiri queat. Idem facile intelligunt, Christi corpus nobis ideo dari sacri pignoris vice, quo ejus sacrificio crucique sociari nos certe sciamus. Duos illos tam necessario distinguendos Christo nos conjungendi modos perspicue distinguunt; alterum quo veram ipsius carnem ore; alterum quo spiritum mente percipiamus: quorum prior nobis ita detur, ut certum sit posterioris pignus. Quæ cum Adversarii neque diffiteri, neque ulla ratione expedire possint, fatendum est profecto eo errando deductos, ut a se necessario ipsi dissentiant.

Equidem sæpe miratus sum planiori eos via suam non exposuisse doctrinam. Quid ni pergerent remotis tot ambagibus dicere, Christum sui pro nobis factam sanguinis effusionem ita adumbrare voluisse, ut duo corporis sanguinisque distincta signa daret: eum porro his signis rei ipsius nomen tribuere voluisse, atque ea sacra signa loco esse pignoris; quo certiores simus mortis dominicæ gratiam nobis communicatam, sacrique nos corporis & sanguinis virtute spiritualiter refici. Postquam tanto molimine conati essent id confirmare argumentis, signa rei ipsius accipere nomen, ideoque corporis signum corpus dici potuisse, ibi consistere neque ulterius progredi, ipsa propositæ doctrinæ series ex sese compellebat. Ut enim illa signa suam haberent efficaciam, plane sufficiebat redemptio-

tio-

tionis gratiam illis esse conjunctam, aut si malint confirmatam. Non erat cur tam anxie docere niterentur, fideles singulos ipsum Christi corpus accipere, ut ipsis constaret crucis communicatam gratiam. Nam in aqua baptismi dato signo sanguinis, quo omnes abluimur, nihil ultra desideraverant; nec venerat in mentem, ipsam nos ibi dominici sanguinis accipere substantiam, quo ipsius in nos virtutem explicari constet. Sane in Eucharistiæ negotio si eandem iniissent viam, esset eorum expeditior doctrina. At non licet iis, qui nova excogitant, quæcunque volunt dicere. Infixa quædam offendunt firmaque axiomata, quibus arctati inventa sua inflectere ac detorquere compelluntur. Dei Filii que unici nomen Servatori non tribuere pervoluissent. Ariani haud sponte Nestoriani in Christo

sto

lto admittebant, nescio quam illam, quam in eorum scriptis legimus personæ unitatem.

Pelagiani quam audacter peccatum Originis negabant, tam libenter baptismum parvulis in remissionem peccatorum dandum negassent. Ea se via ab iis argumentis expedissent, quæ inde Catholici ad probandum originale peccatum validissima atque invictissima deducebant. Verum, ut modo dixi, non audent omnia evertere, qui res jam constitutas nacti sua ac nova inducere tentant. Fateantur sincere Calviniani, quod res est; ita erant comparati, ut corpus Christi, figura tantum Eucharistiæ inesse solumque ipsius spiritum re ipsa percipi libentissime agnoscerent; illa autem magnifica verba nempe ipsius participationem substantiæ, ac tot alia, quæ veram denotant præsentiam, quæque ipsos nil nisi
im-

impediunt, omitterent. Satis ex animi sui sententia fecissent, si nullam in cœna aliam cum Christo communionem essent confessi, quam quæ in prædicatione baptismoque reperiatur; nec profecto dixissent, uti dixisse vidimus, plene in cœna Christum, alibi ex parte tantum percipi. At quamvis eo sua sponte ferrentur, vis verborum repugnabat. Cum enim verbis tam disertis Christus dixisset: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quod nec ullo unquam alio tempore dixit, nec de ulla unquam alia re; quis omnibus Christiani hominis actibus communicare auderet, quod certo cuidam sacramento expressa ejus adjungit oratio? Deinde divinorum omnis ordo consiliorum, mysteriorum, doctrinæque series, Christi in cœna propositum ipsaque usurpata ab eo verba, & quam natura sua fidelium mentibus

bus speciem imprimunt, omnia nisi
 nisi rem veritatemque clamant.
 Quare adversarios oportuit ejus-
 modi voces excogitare, quarum
 saltem sonus confusam aliquam
 rei illius veritatisque speciem
 adumbraret. Qui vel fidei omni-
 no ut Catholici, vel ut infideles
 humanæ omnino rationi inhærent,
 ii seriem quandam possunt, æqua-
 bilemque doctrinæ ordinem con-
 stituere. At qui mistum quid ex
 utraque constare quærunt, ii ne-
 cesse est præter institutum multa
 dicant, in easque opiniones se in-
 ducant, quæ, cum nihil habeant
 aptum, atque connexum, suam
 falsitatem ipsa secum repugnantia
 apertissime prodant.

Id ergo nostris accidit Refor-
 matis, permittente Deo, quo faci-
 lius ad Ecclesiam Catholicam re-
 darent. Cum enim sua docti ex-
 perientia perspiciant, nostris om-
 nino utendum esse verbis; si
 vera

Vera loqui velint, quin statim animadvertunt nobiscum sentiendum ei, qui verum recte velit intelligere! Si tot sententias in suæ fidei expositione deprehendunt, quibus suus sensus non nisi in nostra doctrina constet: non id sufficit, ut veritatem non nisi apud nos integram esse fateantur? illæ denique avulsæ a doctrina Catholica particulæ, quæ hic illic in eorum Catechesi apparent, suo restitui corpori, ut ita dicam, postulantes, nonne eos compellunt, ut plenam absolutamque Eucharistiæ exponendæ rationem in Ecclesiæ communione requirant? Eo devenirent profecto, ni eorum Fidem sensibus nimis obnoxiam humanæ ratiocinationes impedirent. Verum postquam docuimus, quem ex doctrinæ suæ expositione fructum capere debeant, nostram porro enarrare pergamus.

Quar-

XIII.

*De Trans-
substantia-
tione & a-
doratione
& quo sen-
su Eucha-
ristia si-
gnum sit.*

Quandoquidem, uti dictum est, convenientissimum fuit hoc fidei mysterium occultum esse sensibus: nihil in Eucharistico pane vinoque mutatum oportuit, quod quidem ad illos attineret. Quare cum eadem ac prius in hoc sacramento percipiamus species, eadem ac prius effecta experiamur, nil mirum est ei panis vini-que nomen certo quodam sensu aliquando tribui. Fides interim, *eius qui omnia, quæcunque vult, facit*, attendens verbis, ab iisque suspensa nullam hic substantiam agnoscit aliam, quam quæ iisdem illis verbis designatur, hoc est verum corpus Christi, verumque sanguinem, in quæ panis & vinum mutata sint; eaque dicitur Transsubstantiatio.

Cæterum ejus rei veritas, quam interius Eucharistia continet, nil facit, quo minus signum quoque ipsa fit, in eo quod exterius habet,

bet, & sensibus obvium: At signum ejusmodi, quod rem adeo non excludat, ut secum necessario importet. Etenim hæc oratio, *hoc est corpus meum*, ad electam a Christo materiam prolata signum nobis certissimum est, ipsum adesse re ipsa præsentem; resque licet nostris semper eadem sensibus appareant, aliter de iis animus judicat, quam suprema non intercedente autoritate judicaret: Cum igitur alias certæ quædam species, & certa series motionum, quæ natura sua corpus nostrum afficiunt, panis nobis vinique soleant designare substantiam, facit ejus, cui credimus, autoritas, ut aliam nobis jam illæ ipsæ species adesse substantiam demonstrant. Ei enim aures mentemque præbemus, qui ait, id, quod accipimus & manducamus, corpus ipsius esse; cujus ea vis orationis est, ut nos ad substan-

stan-

stantiam panis externas illas species referre prohibeat, cogatque ad præsens Christi corpus referre. Ejus ergo rei tam divinæ, tamque adorandæ, cum certa præsentia nobis hoc signo ostendatur, totos nos convertimus ad eam adorandam, nec de eo cultu quidquam ambigimus.

Huic vero de adoratione quæstioni ideo non immoror, quod ex adversariis doctissimi quique & prudentissimi dudum id nobis concesserint, efficere Christi in Eucharistia præsentiam, ut ibi ab iis, quibus id persuasum sit, merito adoretur.

Cæterum cum nobis semel compertum sit potentissima, atque efficacissima Christi oratione id effici omne, quod illa enuntiat, jure credimus, statim illam atque prolata est, suum in Cœna effectum fortitam esse; adeoque quod est consecræneum, veram Corporis

ris

ris præsentiam ante manducationem agnoscimus.

Quibus positis, quod in Eucharistia agnoscimus Sacrificium, nullam peculiarem habet dubitationem. XIV.
Sacrificium Missæ.

Duos in hoc mysterio observamus actus nihilo distinctos minus, quod invicem referantur. Alterum consecrationem, qua panis & vinum in corpus & sanguinem mutantur, alterum manducationem, qua participantur.

In consecratione mystice separantur corpus & sanguis, quod Christus seorsim dixerit: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: quibus verbis violentæ ab ipso toleratæ mortis, viva & efficax expressio continetur.

Horum itaque vi verborum, signis mortem ipsius exhibentibus indutus Christus, in Sacra mensa collocatur: id nempe efficit consecratio; qui religiosus actus
ejus,

ejus, quæ in Deo est, in omnem creaturam ac speciatim in humanum genus summæ atque infinitæ potestatis professionem importat: cum in eo præsens Christus suæ ad crucis usque mortem obedientiæ memoriam innovet quodammodo, reddatque perpetuam: nihil ut illi desit, quo minus vere sit sacrificium.

Dubitari autem non potest, quin actus ille, ut a manducatione distinguitur, acceptus Deo sit, eumque ad nos benigniore vultu respiciendos inclinet: cum ei spontaneam a dilecto filio pro peccatoribus toleratam mortem ob oculos reponat, aut ipsum potius filium ejusdem, qua placatus est pater, mortis signis velatum.

Solam Christi assistentis præsentiam, nemo Christianus non fatebitur, efficacissimam esse apud Deum pro humano omni genere inter-

intercedendi rationem, juxta id, quod Apostolus ait: Christum *apparere Dei vultui pro nobis.* Cum *Heb. 9. 24.* ergo sacræ mensæ in hæc mortis imagine assistentem, atque apparentem Deo pro nobis intercedere credimus, Patrique mortem, quam pro sua tulit Ecclesia perpetuo exhibere.

Eo sensu dicimus Christum se Deo pro nobis in Eucharistia offerre. Non aliter putamus oblatione illa fieri, quam ut magis magisque nobis propitius sit Deus, ideoque propitiatoriam vocamus.

Et quidem cum attendimus, quid in hoc mysterio Christus operetur, eumque sacræ mensæ cum his mortis signis re ipsa præsentem fidei oculo contuemur: ipsi ita præsentem pio nos affectu conjungimus; ipsum Deo ut hostiam nostram unicam, unicamque per sanguinem suum propitiatorem offerimus, nihil nos

E habe-

habere protestari, quod offeramus Deo præter Christum, mortisque Christi dignitatem infinitam. Preces ergo omnes nostras divina hac oblatione consecramus, Christumque Deo offerentes, nos simul tantæ Majestati in ipso, & per ipsum, ut vivas hostias offerre discimus.

Hoc illud est Christianorum sacrificium a prisco sacrificandi ritu in lege præscripto longe remotissimum, spirituale sacrificium novo quidem dignum scedere; in quo præsens victima sola fide conspicitur; in quo gladius verbum est corpus & sanguinem mystice dividens; quo proinde sanguis non nisi mysterio funditur, nec nisi imagine mors intercedit: tamen sacrificium, quo Christus contineatur verissime, Deoque sub hac mortis specie offeratur. At idem commemoracionis sacrificium, quod adeo nota
a cru

a crucis sacrificio (ut objiciunt) non separat, ut contra adjungat penitus, cum & ad id referatur totum, & ea una ratione consistat, & inde denique, quidquid habet virtutis, tanquam ex fonte ducat.

Ea vero est Ecclesiæ Catholicæ expressa in Concilio Tridentino doctrina, quod Sacrificium illud ideo tantum docet institutum esse, *ut illud semel in cruce* ^{Seff. 22-} *peragendum representaret; ejusque* ^{C. I.} *memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, que a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur.* Itaque Ecclesia nedum crucis sacrificio deesse aliquid sentiat, illud adeo perfectam credit, pleneque sufficiens, nihil ut postea fiat, quod non ad ejus memoriam recolendam, applicandamque virtutem ex sua institutione pertineat.

ICO DOCTRINÆ CATH.

Sic agnoscit Ecclesia meritum omne redemptionis humanæ in Christi morte positum: exque his omnibus, quæ a nobis exposita sunt, intellectum oportuit, cum Deo in divini celebratione sacramenti dicimus: *offerimus tibi hostiam sanctam*; non id ea oblatione nos agere, ut iterum salutis nostræ pretium, aut solvamus, aut offeramus; sed ut præsentis Christi merita, infinitumque illud pretium, quod pro nobis semel in cruce persolvit, apud Deum interponamus.

Sane Calviniani Christum offerendi non putant, cum eum ut fidei præsentem offerunt: sin & re præsentem adesse crederent, quid esset, cur etiam ut re præsentem ipsum offerre, vereretur? Itaque concertationem omnem, si bona fide ageretur, ad solam redigi de præsentia controversiam oporteret.

Quæ

Quæ cum ita sint, evanescere illa omnia deberent, quæ sibi de sacrificio nostro Calviniani falso fingunt. Agnoscere debuissent, non eam Catholicorum esse mentem, ut novam sibi propitiationem quærant, qua de integro placetur Deus, velut ipsi non esset crucis sacrificio satisfactum; aut qua supplementi aliquid salutis nostræ pretio velut imperfecto adjiciatur. Nullus his omnibus in doctrina nostra locus est; cum hic omnia intercessionis applicationisque ritu, ea, quæ modo exposita est, ratione peraguntur.

His expositis, grandia illa, quæ XV. *Epistola ad Hebræos.* ex Epistola ad Hebræos in nos desumuntur, objecta, adeoque venditantur, parum videbuntur esse probabilia. Ac frustra inelamant ex Apostoli sententia nobis evacuari crucis sacrificium; sed cum duas invicem sententias non pugnare nullo fir-

miori argumento cognosci possit, quam si utraque exposita liquido pateat nullam alterius partem ulli alterius parti repugnare: doctrinam Epistolæ ad Hebræos hoc loco mihi puto summam proponendam.

Apostoli in ea Epistola consilium est, nos ut doceat, non potuisse peccatorem sibi debitam mortem effugere, nisi aliquem suo loco submitteret, qui pro se moreretur: jam quamdiu nil nisi cævas pecudes suâ vice homines subjecerint, nihil aliud suis factis effecisse, quam ut se mortem mereri profiterentur palam: cumque tam iniqua permutatione, pecudis scilicet cum homine, nullo modo posset justissimo Deo satisfieri, iteratam quotidie fuisse victimarum cædem, quo nempe pecudes ita substitutas hominibus pœna morteque eximendis non sufficere certissime appareret: at
post-

postquam pro peccatoribus mori
 Christus voluerit; nihil fuisse,
 quod pro nostræ redemptionis
 pretio amplius repeteret Deus,
 cui esset spontanea dignissima
 personæ subrogatione abunde sa-
 tisfactum: unde argumentando
 concludit Apostolus non modo
 nullam aliam post Christum ho-
 stiam immolendam; sed ne ipsum
 quidem Christum morti amplius,
 quam semel offerendum.

Revolvatur nunc animo Lector
 studiosus æternæ salutis ac veri-
 tatis amans, qua ratione ex no-
 stra sententia Christus Deo pro
 nobis in Eucharistia seipsum offe-
 rat; ego vero fore confido, ut
 nostra repetens, & cum Aposto-
 licis componens, nihil a nobis
 dictum reperiat, quod aut iis re-
 pugnet, quæ modo ex Apostolo
 adduximus, aut Apostolicæ ar-
 gumentationis vim minuat: ut
 utraq; dogmata nihil invicem

incommodent, atque adeo nihil nobis ad summum objici possit, nisi quod Apostolus in sua ad Hebræos epistola de nostra hac doctrina conticuerit. At quicumque cogitabit, quam sapienter Deus arcana sua in variis scripturæ libris dispensarit, ac distribuerit, non eo profecto nos adiget, ut unam ad Hebræos Epistolam audiamus, eaque putemus omnia contineri, in ea præsertim materia, quæ ad Epistolæ argumentum necessario non pertinebat; cum in ea id exponendum suscepit Apostolus, quam perfectum crucis Sacrificium esset, non etiam quam variis modis ac ritibus a Deo institutis nobis applicari posset.

Atque, ut omnis tollatur ambiguitas, si eo sensu accipiatur offerendi vocabulum, quo in hac epistola sumitur, ut veram hostiæ mortem importet, Christum nec

in Eucharistia, nec alibi jam offerri profitebimur. At cum alia sit ejusdem vocabuli latior notio in aliis scripturæ locis, ubi sæpe dicitur offerri Deo, quod ei præfens sistitur: Ecclesia, quæ non ad solam epistolam, sed ad totum Scripturarum Corpus & orationem, & doctrinam effingit, dicere non dubitat, Christum Deo se pro nobis offerre, ubicumque in Dei conspectu pro nobis apparet, adeoque offerendi vocabulum sacræ Eucharistiæ maxime proprium judicat; quam sane locutionem antiquis Patribus usitatissimam nemo nescit.

Jam vero, quod ajunt, qua ratione dicimus Deo se Christum offerre, ea sacrificio crucis injuriam fieri, id necogitari quidem potest nisi scriptura omnis, ipsaque adeo, quam tanto nobis studio opponunt, epistola evertatur. Eodem enim argumento efficere-

106 DOCTRINÆ CATH.

- tur Christum, cum se Deo de-
Heb. 10. 5. vovet *Ingrediens Mundum*, ut
victimarum, *qua ipsi non placu-*
erunt, locum subeat, suæ in cru-
ce devotioni injuriam facere :
Heb. 9. 24. cum *apparet nunc vultui Dei pro no-*
bis, ei detrahere oblationi, *qua*
Heb. 9. 26. *semel per hostiam suam apparuit* :
Heb. 7. eundemque, *cum semper interpel-*
lat pro nobis, imperfectam osten-
dere interpellationem eam, *qua*
Heb. 5. 7. *moriens cum clamore valido, &*
lacrymis intercessit.

Quæ cum absurda sint omnia,
ita sentiendum est, Christum, qui
se obrulit semel, quo iustum
Deum humilis victima placaret,
se pro nobis offerre jugiter, &
nunquam desistere; Sacrificium
crucis eo summe perfectum esse,
quod quæ præcedunt, perinde ac
quæ sequuntur, omnia ad illud
omnino referantur : ut antece-
dencia præparationem; ita con-
sequentia consummationem ejus
&

& applicationem esse: neque solvi iterum redemptionis nostræ pretium, cum primo abunde solutum sit: at id, quo nobis redemptio illa applicatur, & communicatur merito continuari: esse denique illa, quæ ut imperfecta iterantur, ab iis diligenter fecernenda, quæ ut perfecta & necessaria fieri perseverant.

Jam Calvinianos etiam atque etiam obsecramus, quæ de Eucharistia diximus paululum reputent.

XVI.

Præcedentis doctrinæ consideratio.

Eo fundamento hic nixa sunt omnia, quod vere Christus ac re ipsa præsens sit. De eo lis nobis a Calvinianis movetur. Nihil est, quod in nostris controversiis videatur esse gravius, cum de ipsius agatur Christi præsentia: nihil quod adversarii ducant creditu difficilius; nihil in quo tanta sit, si rem ipsam spectemus; nostræ dissensio.

In plerisque aliis concertationibus, cum nos placide audiunt, difficultates complanari seque verbis sæpe magis, quam rebus, offendi deprehendunt. Hic contra de loquendi modo magis inter nos convenit; cum utrinque participatio vera, hisque similes voces audiantur. At quo penitius utrinque nostram mentem exponimus, eo magis, quantum dissentiamus, advertimus, quod adversarii, quæ vera esse agnoverunt eorum consecutiones omnes, sensum scilicet præjudicii & humanis rationibus ac difficultatibus offensi, non admittant.

Hæc igitur est, ut verum fateamur, Controversiarum nostrarum gravissima ac difficillima, neque ulla in re magis dissidemus.

Sed in tanta Controversia Lutheranos, huic de vera Christi præsentia sententiæ, æque ac nos,
con-

constanter inhærentes (ita providente Deo) Calviniani professi sunt ad sacræ quoque Cœnæ communionem admittendos : Item ea doctrina *nullum venenum contineri* : nihil quod animo periculum creet, nihil quod salutis æ fidei fundamentum evertat, aut quo inter fratres concordia & communio dissolvatur.

Hic ergo Calviniani, quotquot æternam salutem serio & attente cogitant, hic, inquam, attendant, quo consilio, quo ordine sapientissimus Deus, eos ad Ecclesiam veritatemque amplectendam sensim adducat. Possunt, nostra modo sententia exponatur, reliquæ querelarum causæ, vel omnino dilui, vel ita emolliri, ut ad minimum deducantur : in hac vero controversia, quam ea ratione dirimi posse sperandum non erat, præcipuam ipsi difficultatem sustulerunt, cum hanc doctrinam

E. 7 nec

110 DOCTRINÆ CATH.

nec salutis, nec religionis fundamentis repugnare, ultro professi sunt.

Fateor equidem Lutheranos, etsi nobis de vera præsentia consentiant, non amplecti omnia, quæ ex illo dogmate consequantur. Panem cum Christi corpore una collocant; adorationem rejiciunt nonnulli; præsentiam nisi in usu ipso admittere non videntur. At nullis ministrorum unquam argutiis moderati homines, gravesque adducunt, ut probent iis, qui præsentiam ferant, quod est gravissimum ac difficillimum, cætera multo sane leviora intoleranda videri.

Præterea vero illa eadem providentia, quæ arcanis consiliis agit, ut dissidentes animos, atque exacerbatos ad concordiam emolliat, pacisque & amicitiae vel acerrimas inter concertationes ex alto causas ferit; ea, inquam,

quam effecit, ut Calviniani fa-
terentur, si ut sonant illa verba:
hoc est Corpus meum: accipienda
sint, aptiorem omnino magisque
antecedentibus congruentem Ca-
tholicorum esse, quam Luthera-
norum sententiam.

Facilem mihi fore veniam pu-
to, quod hic autorum loca toties
in hoc argumento citata non ad-
ducam, cum æqui omnes iudices
ultra concessuri sint, vera ac rea-
li præsentia posita, magis cohæ-
rentem, sibi que consentientem
nostram esse doctrinam.

Hinc autem plane & liquido
efficitur, eandem doctrinam nihil
nisi recte intellectam præsentiam
continere. Nam & id demonstra-
vimus Eucharistiæ sacrificium in-
de quoque pendere; rogamusque
Calvinianos uti recordentur, non
aliis nos usos ad illud exponen-
dum, quam quæ illa præsentia
in se necessario complectatur.

Jam

Jam si a nobis quærat, cur igitur Lutherani, qui præsentiam credant, id tamen sacrificium repudient, quod nos nil nisi præsentia sequelam esse putemus: dicemus uno verbo reponendam esse hanc doctrinam inter illas veræ præsentia consecutiones, quas a Lutheranis minus intellectas, ipsisque adeo Calvinianis fatentibus, acutius a nobis perspectas esse constat.

Quod si evincere poterimus, eam esse nostram de sacrificio doctrinam, quam veræ præsentia complectatur fides, perspicue intelligit, tantam illam de Missæ Sacrificio quætionem, quæ tot implevit libros, tot criminationibus conviciisque locum dedit, e suarum imposterum controversiarum corpore recidendam, cum nulla sit ejus capitis peculiaris difficultas, sitque (quod gravius est) hoc sacrificium, quod adeo aver-

san-

tantur, necessaria consequentia, germanaque expositio ejus doctrinæ, quam *veneno carere* ipsi docent. Jam se ipsi discutiant, Deoque arbitro ac teste, considerent, tamne justis, quam putant rationibus adducti, ab iis altari- bus recesserint, unde panem vitæ a Majoribus suis tot retro sæculis sumtum sciant.

Superest alia ejus doctrinæ ex- XVII.
pendenda consequentia; scilicet *Communio*
cum Christus in hoc sacramento *sub utra-*
vere præfens sit, non speciebus, *que specie,*
quæ sensus afficiunt, virtutem
& gratiam inhærere, sed ipsi
carnis Christi Substantiæ, quæ
propter unitam divinitatem, &
habeat in se vitam, & tribuat.
Quare quicumque veram præsen-
tiam credunt, dubitare non de-
bent sub una specie Eucharistiam
sumere, cum id omne percipiant,
quo natura & vis hujus Sacra-
menti continetur, seque plene
per-

percipere eo certiores sint, quod in hoc Sacramento corpus & sanguis Christi mystice, ut dictum est, non re, dividantur, adeoque constet plene & indivise percipi eum, qui nos satiare solus potest.

Hoc firmissimo nixa fundamento Ecclesia, ita percipiendæ Eucharistiæ præceptum interpretata est, ut sub una specie vim ejus integram communicari pronuntiaret. Quod autem fideles illa una specie contentos esse iusserit, non id sane fecit alterius contemptu; (absit!) imo reverentiæ causa, cum postremis temporibus promiscui vulgi negligentia multa fierent, unde tanta res minus reverenter haberetur. Id autem ita fecit, ut servaret sibi communionis sub utraque specie restituendæ facultatem, prout paci & concordia magis conducere.

Por

Porro Calvinianis Theologi Catholici ostenderunt, simili eos interpretatione frequenter usos, quod ad Sacramentorum perceptionem attinet. At merito, imprimis observata est, quæ ex XII. eorum disciplinæ capite tit. de cœna sumpta est art. 7. ubi scripta sunt hæc verba: *his ministrari debet cœna panis, qui vinum bibere nequeunt, sic tamen ut contemptum abesse protestentur, Et quantum poterunt Calicem etiam ori quam proxime admoveant, quo scandalo omnino occurratur.* Non esse communioni utramque speciem ex Christi institutione necessariam, hoc statuto judicarunt; alioqui negandum omnino sacramentum fuisset, integrum percipere non volentibus, neque propterea quidquam audendum adversus præscriptam a Christo rationem; nec vero ejusmodi abstemii merito culpari possent, quibus ipsa infirmitas

mitas excusationi esset. At æquo asperius fore adversariis visum est, iis speciem saltem alteram non concedere, qui alteram percipere non possent; quæ indulgentiam nullam in Scripturis Auctoritatem habeat, nobiscum agnoscant necesse est, quibus verbis utramque nobis speciem Christus proposuit, in iis aliquem esse interpretationi locum, eamque interpretationem Ecclesiæ Auctoritate fieri oportere.

Cæterum hoc disciplinæ Calvinianæ caput, quod est ex Synodo Pictaviensi anno 1560. habito, emendatum videri posset Vertoliensi Synodo anni 1567. quæ sic decernitur: *Conventui non placere, iis ministrare panem, qui nolint calicem percipere.* Nullatenus tamen ambæ Synodi sibi mutuo adversantur. Vertoliensis enim de iis loquitur, *qui nolint Calicem percipere*; Pictaviensis vero

vero qui non possint. Itaque Ver-
toliensi non obstante Synodo, in
disciplina remansit hoc caput,
comprobatumque etiam est poste-
riore Synodo, nempe Rupellensi
anni 1571. in quo recognitum
capitulum, & quale nunc legi-
tur, præscriptum est.

Verum si qua foret inter Cal-
vinianorum Synodos sententia-
rum varietas, id unum hinc effi-
ceretur, qua de re agitur, eam
ad fidem non pertinere, ex iisque
esse, quæ libere Ecclesia ex eo-
rum placitis administret.

Nunc exponenda tantum su-
per sunt, quæ de verbo Dei, quæ
que de Ecclesiæ autoritate Ca-
tholici credant.

XVIII.

*Verbum
scriptum
& verbum
non scri-
ptum.*

Cum Christus Ecclesiam suam
Evangelii prædicatione consti-
tuerit, prima Christianæ religio-
nis norma fuit. Verbum non scri-
ptum, neque ideo amisit suam
Autoritatem, quod ei Novi po-
stea

2. *Theff.*

2. 24.

stea Testamenti scripturæ adjunctæ sint. Quo fit, ut pari reverentia admittamus quæcunque Apostoli seu scripto, seu viva voce docuerunt, prout Paulus ipse discrete demonstravit. Doctrinam autem aliquam ab Apostolis ortam esse, id certissimum argumentum est, cum a Christianis Ecclesiis omnibus ita retinetur, ut initium assignari nullum possit. Quæcunque ergo ita constituta sunt, ea veneratione prosequimur, quæ divinæ debetur auctoritati: eundemque esse Calvinianorum intimum sensum, eorum, qui pervicaces non sunt, persuasum habemus: cum credi non possit ab alio fonte, quam ab Apostolis orta doctrina, quæ ab ipsis Ecclesiæ primordiis accepta sit. Quare mirari non debent adversarii, si relicta a majoribus omnia colligere, studiosi traditionis perinde, ac Scripturarum depositum tueamur.

Ab

Ab Ecclesia Scripturarum tra- XIX.
 ditionisque custode, divino nutu *Ecclesie*
 constituta, scripturas accipimus: *Autoriz-*
 eaque maximè autoritate adver- *tas.*
 sarios, quidquid dicant, adigi
 credimus, ut Canticum Canti-
 corum, in quo tam pauca sunt
 sensibus obvia, quæ divino af-
 flatum spiritu Prophetam redo-
 leant; Epistolam quoque B. Ja-
 cobi, quam rejicit Lutherus, &
 B. Judæ, quæ propter citatos
 nonnullos Apocryphos libros su-
 specta videri possit, ut libros fa-
 ctos venerentur. Hac una deni-
 que autoritate fieri potest, ut
 corpus omne scripturarum am-
 plectantur, quas Christiani ut di-
 vinas observant, antequam divi-
 num in his libris operantem Spi-
 ritum lectione deprehenderint.

Cum igitur Sacræ Ecclesiæ au-
 toritati per acceptas ab ea scri-
 pturas firmissime, atque insolubili
 vinculo inhæreamus, traditionem
 etiam,

etiam, eadem docente, & per traditionem verum scripturarum sensum accipimus. Quare nihil se ex se ipsa dicere, nihil se novi dogmatis adinvenire profitetur Ecclesia: ea tantum, quæ divinitus revelata sunt Spiritu Sancto, quem Doctorem accepit, intus dirigente sequitur & exponit.

Sanctum porro Spiritum ipsa uti interprete ostendit ipsis Apostolorum temporibus orta de legibus Cæremoniis disceptatio: quaqua ratione prima illa diremta controversia est, ex ea in actibus Apostolorum relata, qua auctoritate ceteræ omnes finiendæ sint, in sequentia omnia sæcula didicere. Itaque quamdiu inter Christianos de fide quæstiones, ac dissensiones existent, suam Ecclesia auctoritatem interponet; dicentque congregati pastores Apostolos secuti: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Cum autem sancta

Act. 15.
28.

sancta mater Ecclesia pronuncia-
 verit, docebuntur populi, non
 esse iterum excutienda, quæ deci-
 fa erunt, sed summa animi de-
 missione suscipienda sacra respon-
 sa. In quo Pauli & Silæ sequemur
 exemplum, qui cum primum il-
 lud Apostolorum iudicium ad fi-
 deles deferrent, adeo res defini-
 tas ad novum examen revocare
 non sinebant, *ut pertransirent Ci- Act. 16.4.*
vitates, tradentes eis custodire dog-
mata, que erant decreta ab Apo-
stolis.

Sic Ecclesiæ iudicio Christia-
 ni, Evangelii memores acquie-
 scunt, cum se ex ejus ore credunt
 Spiritus Sancti responsum acce-
 pisse, ejusque fidei causa post-
 quam in Symbolo diximus: *Cre-*
do in Spiritum Sanctum, statim
 adjungimus; *Sanctam Ecclesiam*
Catholicam: qua veluti lege nos
 adstringimus, ut infallibilem in
 Ecclesia universa agnoscamus

F per-

perpetuamque veritatem, quando illa ipsa Ecclesia, quæ in Symbolo nobis nullo non tempore credenda proponitur, Ecclesia desineret esse, si revelatam a Deo veritatem docere desineret. Itaque qui verentibus notestante sua ad inducendum mendacium illa abutatur, vel ea re testantur, se in eum, a quo regitur, non satis credere.

Quin etsi adversariis concedamus, ut hoc humano magis more considerent, fateri cogentur tantum abfuisse, ut, quod accusarunt, Ecclesia Catholica fidei suæ arbitram se constituerit, ut contra se ipsam vinculis, quibus potuit omnibus adstrinxerit, omnesque innovandi præcluserit vias; Cum non modo sacræ se scripturæ subjiciat; sed quo arbitrarias in sempiternum interpretationes excluderet, quibus hominum inventa pro scriptura

ven-

venditantur, lege dicta spon-
 derit, in rebus ad fidem moresque
 spectantibus eandem Scripturam *Conc. Trid.*
 a se intelligendam juxta Sancto-*Seff. 4.*
 rum Patrum consensum: a quo
 se nunquam recessuram profite-
 tur: protestaturque omnibus tum
 Conciliis, tum fidei professioni-
 bus a se editis, nullum se dogma
 suscipere, quod non sit antece-
 dentis omnis ævi traditioni con-
 sentaneum.

Cæterum Adversarii, si se ipsi
 consulant, nomen Ecclesiæ ma-
 joris apud se autoritatis esse de-
 prehendent, quam audeant in
 disceptationibus confiteri: nec
 ullum inter eos esse virum pru-
 dentem existimo, qui si solita-
 rium se in aliqua sententia se-
 quenda cerneret, quantumvis illa
 perspicua videretur, suam non
 horreret solitudinem. Adeo ne-
 cesse est homines, in his quidem
 rebus, Societatis alicujus, quæ

idem cum ipsis sentiat autoritate
fulciri. Quare qui nos finxit Deus,
novitque, quid nobis utile sit,
privatos omnes Ecclesiæ suæ au-
thoritati subjici, nobis consulens
voluit, quæ profecto est omnium
firmissime constituta autoritas,
ut quæ scilicet sit non Dei tantum
ipsius in sacris dicto scripturis
testimonio constituta; sed &
apertissimo Dei protegentis auxi-
lio, quod cum in eo eluceat,
quod tantis sit fundata & consta-
bilata miraculis, tum vero ma-
xime, quod novo nec minus stu-
pendo miraculo integra sempiter-
naque tot inter tempestates Ec-
clesia perseveret.

XX. Tanta est supremæ illius Autho-
ritatis in Ecclesia necessitas, quo-
de fide scripturarumque sensu or-
tæ controversiæ dirimantur, ut
Adversarii, postquam illam vel-
ut intolerandam tyrannidem tra-
ducere conati sunt, eandem ipse
quo-

*Calvinia-
rum de Ec-
clesia au-
thoritate
sententia.*

quoque admittere, ac dissensionibus componendis velut certum remedium adhibere coacti sint.

Cum enim ii, qui dicuntur independentes palam professi essent, unicuique fidelium ex propria conscientiae praescripto vivendum, nec esse, cur iudicium privatum ullius ordinis, aut Collegii, vel Ecclesiastici conventus auctoritati subjiciat; cumque his insistentes placitis Synodis se submittere recusarent; hanc doctrinam Carentonenſis Synodus anno 1644. habens iisdem rationibus, iisdemque adducta incommodis damnavit, quibus nos illam repudiamus. Principio notat illa Synodus, in eo fitum esse independentium errorem, quod doceant, *unamquamque Ecclesiam suis propriis Legibus ita gubernari debere, ut in rebus Ecclesiasticis nemini subiecta sit, atque a nemine dependeat, neque ullam Colloquio-*

rum, Synodorumque Autoritatem ad suum regimen administrationemque agnoscere teneatur. De eo vero errore ita iudicat Synodus, esse hanc sectam tam Reipublicæ, quam Ecclesiæ perniciosam: absurdis quibuscumque insanisque commentis viam aperire; omnes eis medendi rationes tollere: ac si illi sententiæ locus esset, posse tot Religiones fingi, quod Parcæciæ private consentus forent. Quibus postremis verbis apparet voluisse Synodum eam, quam hoc decreto constituit, subjectionem, ac dependentiam ad fidei negotia præcipue pertinere, cum maximum incommodum, quod ex independentia eventurum notat, illud sit: posse tot Religiones fingi, quot Parcæciæ forent. Necessè est igitur ex hujus Synodi decreto singulas Ecclesias, multoque magis singulos homines privatos a superiori aliqua autoritate, quæ penes

penes conventum aliquem Collegiumve sit, in rebus fidei pendere, cui autoritati iudicium proprium omnes subjiciant. Neque enim abnuunt independentes Dei se verbo submittere, prout illud sibi intelligendum credent, neque Synodorum amplecti decreta, quæ postquam excusserint, æqua judicabunt. Illud vero negant, ullius se decreti Ecclesiastici autoritate teneri, aut ullum esse conventum, cui proprium ac privatum iudicium subicere debeant: quod nempe ab ipsis Calvinianis acceperint conventum omnem, etiam ipsius universalis Ecclesiæ, hominum Societatem esse erroribus obnoxiam, cuique adeo suum subicere privatum iudicium Christianus homo non debeat, cum id obsequii soli debeat Deo. Ex illo independentium placito ea sequuntur incommoda, quæ optime Carentonen-

sis Synodus notavit. Quantum-
 vis enim Scripturæ obedire se
 profiteantur, si id sibi quisque
 tribuat, ut eam ex proprio sensu
 contra Ecclesiæ sententiam de-
 cretorio iudicio latam interpre-
 tetur, *via aperietur absurdis qui-
 buscumque, insanisque commens-
 uris, omnesque iis medendi ratio-
 nes tollentur*; cum Ecclesiæ ju-
 dicium iis remedium non sit, qui
 se ad parendum nulla lege teneri
 putent, locus denique dabitur
tot fingendis religionibus, non mo-
 do, *quot Paræcia*, sed quot ca-
 pita sunt.

His vitandis incommodis, ex
 quibus Christianam Religionem
 convelli, ac penitus labefactari
 necesse esset, coacta est Carento-
 nensis Synodus; *aliquam in rebus
 Ecclesiasticis dependentiam* consti-
 tuere, etiam in eis, quæ ad fi-
 dem pertinent; quæ dependen-
 tia animique subiectio nunquam
 pesti-

pestiferos, quibus obviam ire voluerunt, prohibebit eventus, nisi nobiscum consentiant, ac decernant, privatam quamque Ecclesiam, multoque magis privatam unumquemque Christianum certo debere credere, iudicium proprium esse Ecclesiae auctoritati necessario subjiendum.

Itaque Calvinianos videmus Cap. 5. suae disciplinae tit. de consistoriis art. 31. cum praescribunt rationem *finiendarum controversiarum, quae de aliquo seu doctrina, seu discipline capite oboriri possent*, statuere primo conaturum consistorium *omnia ex verbo Dei placide ac sine strepitu componere*; deinde positum consistorio, colloquio, Synodo Provinciali, veluti totidem Jurisdictionis gradibus, cum denique ad nationalem Synodum devenere, supra quam nulla apud eos potestas sit, de eo haec dicere: *Hic*

integra fiet & ultima per Verbum Dei totius quæstionis decisio, cui si renuant omnino acquiescere, erroresque diserte abjicere, ab Ecclesia abscindentur. Quo loco manifestum est, Calvinianos supremi illius Judicii vim Dei Verbo non tribuere secundum se sumpto, præcisoque ab Ecclesiæ interpretatione; cum Verbo eodem in prioribus sint usi Ecclesiasticis judiciis, nec eo minus sinant ab iis appellari. Non igitur aliter illud Verbum, quam si supremo Ecclesiæ judicio expositum sit, *ultimam illam facit decisionem, cui quicumque omnia acquiescere renuit, quamvis sibi Verbum Dei favere dicitur, non alius jam habeatur, quam profanus quidam, qui sacrum illud verbum adulteret, eoque ad errores suos tuendos abutatur.*

At formula litterarum, quæ a Synodo Victoriacensi in Armo-
rias

rias anno 1617. conscripta est
 Provinciis usurpanda, quoties
 ad nationalem Synodum Legatos
 mittant; habet illa sane aliquid
 longe validius: his enim conce-
 pta est verbis: *Promittimus co-
 ram Deo, iis omnibus nos subji-
 ciendos, quæ a sancto vestro cœtu
 conventa & decreta erunt, iis pa-
 rituros, & omni nostra facultate
 executuros, quod nobis persuasum
 sit fore, ut DEUS ei præsideat;
 vosque Spiritu Sancto suo in omni
 veritate & æquitate per verbi sui
 regulam dirigat.* Non id hic agi-
 tur, ut Synodi alicujus decretum
 suscipiant tum, cum ad Scripturæ
 mentem dixisse compererint, quin
 potius Synodo se ante subjiciunt,
 quam congregata sit, ideoque
 subjiciunt, quod persuasum ha-
 beant, fore ut Spiritus Sanctus
 ei cœtui præsideat. Quod si id hu-
 mana tantum præsumptione per-
 suasum habent, qua fide possunt

promittere coram Deo se subiecturos iis omnibus, qua convention-
erunt & decreta, eis parituros
& omni facultate sua executuros?
Si vero de Synodo congreganda
tam præclare sentiunt, quod
credant Spiritum Sanctum Eccle-
siæ in supremis judiciis assistere,
nil jam amplius ipsi Catholici
postulant.

Sic igitur agunt adversarii, ut
qui nobiscum de suprema illa au-
thoritate consentiant, qua sub-
lata nulla unquam orta de Reli-
gione dubitatio finiri possit. Sin
autem cum jugum excutere ag-
gressi sunt, negarunt teneri Chri-
stianos privatam iudicium Ec-
clesiæ iudicio subicere; ordinis
deinde constituendi ratio id ex-
egit, ut ultro admitterent, quod
primum secessionis tuendæ gra-
tia repudiaverunt.

Multo etiam processere longius
in Synodo Nationali ad San-
ctæ

Etæ Fidis habita anno 1578. Tum
 temporis agebatur de pace cum
 Lutheranis componenda per *for-*
mulam professionis fidei generalis.
Ecclesiis que omnibus communitis,
 quæ quidem conscribenda dice-
 batur. Invitatae sunt Gallicanæ,
 ad conventum ea de re habendum
 mitterent *Viros bonos ab iis Eccle-*
siis probatos, earumque auctoritate
munitos amplissimis Mandatis, UT
 TRACTARENT, CONVENI-
 RENT, DECIDERENT DE
 OMNIBUS DOCTRINÆ CAPI-
 TULIS, *Et aliis ad reconciliatio-*
nem spectantibus. Quæ cum in
 deliberationem adducta essent,
 his ipsis verbis conceptum est
 Synodi decretum. *Nationalis*
hujus regni Synodus gratiis DEO
actis pro spe concordie oblata,
predictorumque convocatorum cu-
ra, diligentia, probis consiliis col-
laudatis, PROBATA ETIAM
 REMEDIIS AB EIS PROPOSI-

TIS, inprimis scilicet de nova fidei professione conscribenda, ejusque condendæ certis personis tribuenda facultate, statuit, si prædictæ fidei professionis exemplum tempore mittatur, ut examinetur in unaquaque Synodo Provinciali, aut aliter pro cujusque Provincie commo: interim Ministros delegavit quatuor rerum ejusmodi peritissimos, quibus expresse injunxit, ut ad locum & diem occurrant, cum literis & mandatis amplissimis tam Ministrorum omnium Seniorum, quotquot e Provinciis hujus regni sunt delegati, tum etiam Domini Vice-Comitis Turenensis, ad supra dicta omnia peragenda: quod si FIERI NON POSSET, UT PRÆDICTA PROFESSIO PER OMNES PROVINCIAS EXAMINARETUR, eorum prudentia, & sano judicio permissum est, ut concedant, & desiniant, quæcumque in deliberationem adducentur capi-

*ula, sive DE DOCTRINA, sive
de quacumque alia re pertinente
ad utilitatem, reconciliationem
& quietem omnium Ecclesiarum.*

Hunc tandem eventum habuit
vanum Reformatorem fastidium.
Vecordia nos accusarunt toties,
quod Ecclesiæ Judiciis parere-
mus, quæ quidem Ecclesia cœ-
tus sit non nisi ex hominibus con-
stans errori obnoxiiis; id vero
absurdissimum judicabant: atqui
in Nationali Synodo, quæ Cal-
vinianas omnes Galliarum Ec-
clesias repræsentaret, ipsi illi
Ecclesiastici juris contemptores
solemni ritu congregati, de
fide sua apud quatuor viros
compromittere non dubitave-
runt, adeo deposita propria sen-
tentia, ut plenam ipsis facultatem
dederint fidei professionis
immutandæ ejus, quam hodie-
que Orbi Christiano Universo
ita proponunt, ut quæ nihil nisi
purum

purum DEI verbum contineat, pro qua etiam cum Regibus eam nostris offerrent, innumeros homines sanguinem fundere paratos affirmaverunt. Hujus Synodi decretum prudenti Lectori permitto considerandum, Ecclesiarque sententiam exponere paucis absolvo.

XXI.

Sanctæ Sedis Apostolicæ & Episcopatus auctoritas.

Cum Christus Ecclesiam suam unam esse voluerit, & firmiter in unitate fundatam, Primatum B. Petri ad illam continendam, coagmentandamque instituit. Quare eundem agnoscimus primatum in principis Apostolorum successoribus, quibus idcirco ea subjectio debetur, ea obedientia, quam Sancta Concilia, Sanctique Patres Christianos ubique docuerunt.

Ea porro, de quibus in Scholis quæri omnes norunt, licet in medium afferri Calviniani Doctores non desinant, ad conflandam illi potestati invidiam, hic commemoro.

memorare nihil attinet, cum e
fide Catholica non sint. Sufficit
agnoscere Caput, & Pastorem a
Deo constitutum, ut gregem o-
mnem in vias ejus dirigat: quod
libenter ii facient omnes, qui
fraternæ Ecclesiasticæque con-
cordiæ student.

Equidem si fuissent unitatis stu-
diosi novæ hujus Reformationis
authores, nec Episcopale regimen
antiquassent ab ipso Christo insti-
tutum, & ab Apostolorum tempo-
ribus omnibus Ecclesiis notum;
nec Cathedram B. Petri sprevis-
sent, cujus autoritas & fundamentum
in Evangelio tam firmum habeat,
& in traditione tam manifestam,
tamque continuam omnibus sæcu-
lis testificationem. Imo servassent
potius diligenter, & Episcopatus
autoritatem, qua unitas in singulis
Ecclesiis constat, & Sedis Petri
primatum, qui Catholicæ omnis
unitatis commune vinculum est.

Hæc

XXII. Hæc est Catholicæ Doctrinæ
Peroratio. expositio, in qua ut præcipuis in-
 harerem, quæstiones omisi non-
 nullas, quas pro legitima secessio-
 nis causa Calviniani non habent.
 Spero, qui ex illis partes hujus
 commentarii omnes æquo animo
 expenderint, paratiores futuros,
 qui probationes, quibus fides Ec-
 clesiæ nititur, suscipiant, interim-
 que agnituros, posse multas e
 controversiis nostris sinceræ sen-
 tentiæ expositione finiri: ad hæc
 sanctam esse doctrinam nostram,
 nec ullum ejus caput esse, quod
 vel ex ipsorum placitis salutis
 fundamenta subvertat.

Si cui vero videbitur huic Tra-
 ctatui respondendum, id roga-
 mus attendat; nihil se acturum,
 si comprehensam eo doctrinam
 confutandam suscipiat, cum pro-
 ponere illam solum, non etiam
 probare decreverim, ac si quibus
 locis rationum, quibus innititur,

non-

EXPOSITIO. 139

nonnullas perstrinxi, id fecerim ideo, quod aliter sæpe non possit exponi doctrina, quam præcipuis ejus fundamentis pariter expositis.

Ille etiam ab hujus Tractatus mente aberraret, qui varias expenderet rationes a Theologis Catholicis ad probandam explanandamve Tridentini Concilii doctrinam adductas, quæque ex illa privati doctores argumentando varie intulerunt. Ut ergo ad hunc Tractatum firmi aliquid dicatur, quodque ad rem pertineat, necesse est aut iis actis, quibus se admittendis Ecclesia obstrinxerit, probare ejus hic fidem non esse sincere expositam: aut ostendere hac expositione objecta omnia æque valida, quæstionesque integras relinqui; aut denique indicare, in quo hæc doctrina fidei fundamenta convellat.

O. A. M. D. G.

I N.


INDEX
MATERIARUM,


In hoc Opusculo tracta-
tarum.


| | |
|---|---------|
| I. <i>Consilium Authoris.</i> | pag. 7. |
| II. <i>Patentur Calviniani Catholicos funda- mentalialia omnia Christianae Religionis capita suscipere.</i> | 9 |
| III. <i>Ad Deum solum ultimo refertur Reli- giosus Cultus.</i> | 14 |
| IV. <i>Sanctorum Invocatio.</i> | 18 |
| V. <i>Imagines & Reliquia.</i> | 27 |
| VI. <i>Justificatio.</i> | 34 |
| VII. <i>Meritum Operum.</i> | 37 |
| VIII. <i>Satisfactiones, Purgatorium, Indul- gentia.</i> | 45 |
| IX. <i>Sacramenta.</i> | 53 |
| <i>Baptismus.</i> | 55 |
| <i>Confirmatio.</i> | 56 |
| <i>Penitentia & Confessio Sacramenta- lis.</i> | 57 |
| <i>Extrema unctio.</i> | 58 |
| <i>Matrimonium.</i> | 59 |
| <i>Ordo.</i> | 60 |
| | X. Ec- |


- X. *Ecclesie Doctrina de vera Corporis & sanguinis Christi in Eucharistia presentia ; & ut illa Verba intelligat : hoc est corpus meum.* pag. 60
- XI. *Expositio horum Verborum : Hoc facite in meam Commemorationem.* 68
- XII. *Calvinianorum Doctrinae de vera presentia expositio.* 73
- XIII. *De Transsubstantiatione & adoratione ; & quo sensu Eucharistia signum sit.* 92
- XIV. *Sacrificium Missae.* 95
- XV. *Epistola ad Hebraeos.* 101
- XVI. *Præcedentis Doctrinae consideratio.* 107
- XVII. *Communio sub utraque specie.* 113
- XVIII. *Verbum scriptum & Verbum non scriptum.* 117
- XIX. *Ecclesie Authoritas.* 119
- XX. *Calvinianorum de Ecclesie autoritate sententia.* 124
- XXI. *sanctæ sedis Apostolicæ & Episcopatus autoritas.* 136
- XXII. *Peroratio.* 138

XXII. ...
XXIII. ...
XXIV. ...
XXV. ...
XXVI. ...
XXVII. ...
XXVIII. ...
XXIX. ...
XXX. ...
XXXI. ...
XXXII. ...









the scale towards document

133
1578. Tum
pace cum
da per for-
generalis.
communitis,
benda dice-
Gallicanæ,
habendum
ab iis Eccle-
e auctoritate
indatis, UR
CONVENI-
CENT DE
NÆ CAPI-
reconciliatio-
uæ cum in
acta essent,
ceptum est
Nationalis
yatiis DEO
dia oblata,
catorum cu-
consiliis col-
IS ETIAM
PROPOSI-
TIS,